VITT. EMANUELE
C

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
18 C
3 H
14-9.D.10
Digitized by Google

DOCTRINA NOVA DE LIBERTATE.

Eximii Domini GUMMARI HUYGENS Lyrani, S. Theologiæ Doctoris Lovanii.

EXPENSA

A GERARDO VAN VIANE, B. S. S. L. P. P.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ,

Apud JOANNEM WILHELMUM BOURGEAT, Bibliopolam.

M. DC. LXXXI.

Cum Approbatione Superiorum.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LECTOR
BENEVOLE.

N*Actus ſum Theſim Lovanii propugnatam apud Patres Societatis Die 30. Iunii & 1. Iulii, in qua exagitatur Doctrina prorſus mira, ac Nova ex quodam Compendio & Dictatis publicis Auctoris Compendii ejuſdem : at nuſpiam nominatur Auctor nomine ſuo : vehemens me invaſit deſiderium videndi Compendium iſtoc, ſimulque Dictata publica, ex quibus proponebatur Doctrina varia, quam mirari ſatis non poteram traditam eſſe Lovanii in civitate Catholicâ Re-*

gis

gis Catholici. Nactus ſum tandem ſingulari beneficio Compendium: quod hunc præfert titulum: Compendium Theologiæ, id eſt, Theſes ex primâ parte 1. 2. & 2. 2. D. Thomæ, hebdomadatim defenſæ ab Anno 1672. uſque ad 1679. in Collegio Adriani V I. Pontificis, Præſide Ex. Viro D. ac M. N. Gummaro Huygens Lyrano, S. Th. Doctore Lovanii. Typis Georgii Lipſii Anno 1679. *Liber hic ſine ullâ Approbatione impreſſus ibidem venalis fuit; qui plura Exemplaria emerat, mihi unum dedit. Summâ aviditate pervolvi Compendium illud, magnâ animi admiratione: poſtmodum accepi ſcripta, quæ publicè dictavit*

vit

vit in Scholâ Facultatis Theologicæ Eximius Dominus Gummarus Huygens, Auctor Compendii & ne dubitarem, quin illa ipſa dictaſſet, quod mihi videbatur incredibile, fidem fecit is, qui illa ipſa ſe ex ore dictantis excepiſſe teſtatus eſt coram Notario publico, qui ſingula Dictatorum folia ſuâ manu ſignavit. Illa ipſa Dictata pervolvi haud ſegniter, obſervavi innumera, quæ merentur expendi. Exiguum aliquod ſpecimen exhibeo Lector Benevole, de Libertate, ex una Theſi Compendii, & duplici obſervatione, à quâ Dictatorum ſumitur initium. Reliqua perſequi non patitur afflicta valetudo. Spero non defuturum aliquem ex Lectoribus, qui expendat

cætera, quæ iſto Compendio ac Dictatis complexus eſt Exim. Dominus Gummarus Huygens; ne hic & alibi ignoretur Doctrina, quæ hoc tempore Lovanii docetur nova ac mira ſupra modum, an vera & Catholica, aliorum eſto judicium.

Digitized by Google

APPROBATIO.

HIc Libellus, exponens *Doctrinam* D. GUMMARI HUYGENS de Libertate, *non minus utiliter lucem videbit, quàm Libelli, quibus expoſita eſt, & refutata doctrina Methodi ejuſdem.*

Fra. N. S. Libr. Cenſor.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA NOVA DE LIBERTATE.

§. I.

Proponitur doctrina Eximii Gummari, ejuſque fons aperitur.

FONS eſt unde novæ quotidie fluunt doctrinæ, AUGUSTINUS CORNELII JANSSENII ſed quo carere poſſet Belgium Catholicum, quod heu nimium! fonte illo hodie adſpergitur : timent multi, ac vehementer timent, ne inundetur aliquando, & quoad doctrinam confluat cum Belgio hæretico. Hac ſpe lactant ſuos illic perduelles Hæretici ; an ex eodem fonte fluxerit doctrina Gummariana de Li-

bertate judicet æquus Lector, ex parallelo quod ſubjicio.

1. Eximius Dominus Gummarus tum in Dictatis publicis, tum in Compendio Theologiæ celeberrimam Libertatis definitionem novitatis arguit, & velut Auguſtino, ipſiuſque Diſcipulis ignotam intrepidè rejicit; ſic enim loquitur in Dictatis publicis obſervatione 2. *Objicies fortè quod definitio libertatis hæc; nimirum poteſtas ad agendum & non agendum poſitis &c. repugnet libertati amoris beatifici. Verum intrepidè negamus illam definitionem, neque enim tantâ vel authoritate, vel ratione nititur, ut admittere cogamur; etenim nimium propendet in Pelagianorum & Semi-Pelagianorum errores, nec tamen hi eam Auguſtino unquam objecerunt, quod nimirum tunc eſſet ignota. Quod autoritatem attinet, non ſcimus pro eâ allegari hactenus vel unum Eccleſiæ Concilium, vel ullius Pontificis decretum, aut unius ex SS. Patribus ſententiam.* Compendioſius ita ſcribit in Compendio pag. 12. *Definitio illa libertatis poteſtas ad agendum & non agendum &c. non fuit nota Ariſtoteli & cum etiam SS. Auguſtino & Thomæ ignota, modo non eſt neceſſaria Theologiæ.*

Cornelius Janſenius in ſuo Auguſtino de gratia Chriſti Salv. libero 8. cap. 9. Col. 866. ita Gummaro præluſit, *Auguſtino, diſcipulis, & poſteris ejus, definitio*

iſta

iſta liberi arbitrii, quam nunc Scholaſtici quidam id eſſe volunt, quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, & non agere, ita videlicet ut, ſicut ipſi intelligunt, tam agere, quam non agere, cum omnibus ad agendum prærequiſitis pro mero beneplacito voluntatis, conjungi disjungique poſſit, ad multa ſæcula fuit ignotiſſima. Item l. 6. c. 4. Col. 618. *Recentiores imaginantur illum tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt, in libero noſtræ voluntatis arbitrio, & illius nos tantum eſſe dominos, quem pro libitu noſtro poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſumus facere, & non facere. Quâ in re juxta Auguſtini ſententiam creberrimè nobis explicatam ſine dubitatione falluntur.*

2. Eximius Gummarus in Compendio ita ſcribit pag. 12. *amor beatificus eſt actus humanus & perfectè voluntarius.* In Dictatis publicis ita docet obſervat. 1. *dicendum quod amor beatificus ſit actio humana, per illam enim quod volumus facimus; ſumus igitur ſuturi domini iſtius amoris; ſive futurus eſt iſte actus in poteſtate noſtra. . . . . eſt quoque amor beatificus accenſendus actibus liberis.*

Janſenius l. 6. de Gratia Chriſti ſalv. cap. 10. fusè probat amorem beatificum fore liberum. Dein Col. 651. objicit ſibi argumentum quod Scholaſticos deterret ne voluntatem beatificam fateantur eſſe

liberam. *Non enim videtur in poteſtate noſtra eſſe, non ſumus domini illius, non poſſumus illum ſuſpendere cum libet. Reſpondet Auguſtinus,* inquit Janſenius, *illa omnia eſſe falſa. Eſt enim in poteſtate noſtrâ, ſumus Domini, ſuſpendimus eam quando volumus.*

3. Eximius Gummarus in Comp. pag. 12. hæc habet: *In ipſo amore beatifico major eſt à neceſſitate libertas, quam in ullo amore viatoris.* In Dictatis publicis obſerv. 1. *nulla,* inquit, *actio hominis in hoc ſtatu naturæ lapſæ ita eſt in noſtra poteſtate, ac proindè nulla tam juſto titulo vocatur humana, quam amor beatificus.* Janſenius l. 6. de Gratia Chriſti Salv. cap. 10. Col. 653. idem omnino docet de amore beatifico eodem argumento. *Per nullam enim,* inquit, *voluntatem magis volumus, ideoque nulla magis adeſt cum volumus, nullaque magis in noſtra poteſtate, adeoque nulla magis libera,* quam illa beatificæ fruitionis voluntas.

4. Eximius Gummarus in Dictatis publicis eadem obſervat. egregium fucum fecit diſcipulis ſuis: verebatur ne diſcipuli muſſitarent quid jam inter ſe, ac dicerent, in amore beatifico inveniri quidem libertatem aliquam, ſed libertatem dumtaxat à coactione, non autem libertatem à neceſſitate, quam requiri ad actiones huma-

nas,

nas, quibus meremur & demeremur; autoritate falli neſcia docuerunt Innocentius X. & Alexander VII, ut cogitationem hanc diſcipulorum præoccuparet Eximius Gummarus, *notatu dignum eſt*, inquit, *quod Auguſtinus dicto loco de libero arbitrio hæc duo, facere voluntate, & facere neceſſitate habeat ut mutuò adverſantia, undè eſt & illud quod ibidem dicit: ſi neceſſe eſt ut velim, undè volet, cum voluntas non erit? amor itaque beatificus ille rectè dicitur eſſe liber etiam à neceſſitate, & magis quam ulla actio naturæ lapſæ, aut hominis in ſtatu innocentiæ aut Angelorum viatorum: fit enim amor beatificus magis voluntate, quam iſtæ actiones.* Ecce libertas à neceſſitate, quam in amore beatifico invenit Doctor hic eximius, eò recidit; quod fiat voluntate, ſive quod ſit actus voluntatis. Egregiam enimverò libertatem à neceſſitate! ſed tamen ſufficit ut diſcipulis fiat fucus. Cogitationem hanc, opinor, ſuggeſſit Eximio viro Janſenius l. 6. de Gratia Chriſti Salv. cap. 10. unde totam fere obſervationem 1. deſumpſit: ſic enim habet Col. 650. *quod ſtatim tam efficaciter demonſtrat* (Auguſtinus) *ut contradictionem implicare doceat, hominem velle, & eſſe neceſſe ut velit, undè enim*, inquit, *volet cum voluntas non erit?*

5. Eximius Gummarus prævidens com-

 munem

munem libertatis notionem non tam facile Diſcipulorum animis excutiendam, volens tamen libertatem amori beatifico cum Janſſenio aſſerere, conatur eadem obſervatione communem libertatis definitionem amori beatifico accommodare: *hæc equidem non eo fine dicta ſunt, quaſi illa definitio libertatis amori beatifico accommodari non poſſet, nam poſitis omnibus ad agendum &c. poſſent beati, quantum nimirum eſt ex parte modi agendi: (ſi objectum Deo melius exiſteret, vel ſi amoris Domini ceſſatio ipſo amore foret melior) aliud iſtud objectum amare, vel ab amore divino ceſſare.*

Similem potentiam ceſſandi ab amore beatifico, illumque mutandi ſub conditione aliquâ, quæ poni numquam poteſt, admiſit Janſſenius lib. 6. de Grat. Chriſti ſalv. cap. 35. coll. 721. *Idem*, inquit, *& ſimili prorſus modo in cœlo accidit, poſſent enim* (beati) *volitionem ſuam mutare ſi vellent . . . . . . ſed ratio mutandi nulla præſto eſt, & ideo nunquam mutare volunt, quæ nolitio mutationis, quia ſemper cum nolunt præſto eſt, & maximè ſemper præſto eſt, hinc maximè quoque eſt in eorum poteſtate, & maximè libera, hinc fit ut iſto ſenſu etiam abruptio ſeu ceſſatio iſtius voluntatis ſit in poteſtate, quia fit cum volunt.*

6. Eximius Gummarus in Comp. pag. 12. libertatis notionem habet exoſam, ne

gratiam,

gratiam, quam meditabatur adſtruere inde quidquam patiatur: *Ridiculum*, inquit, *proinde eſt propter illam negare, quod gratia hujus ſtatus ultra poſſe det ipſum velle.*

Eadem cura ſollicitum habuit Cornelium Janſſenium l. 7. de Gratiâ Chriſti Cap. 14. col. 798. *Et ſanè ſi non eſt alia libertas vera voluntatis, quam agendi & non agendi ..... operatio divinæ gratiæ diametraliter repugnat Philoſophicæ libertati ſeu indifferentiæ libertatis: quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinatè facit agere vel non agere, velle, vel non velle.*

Vides Lector quam belle Janſſenio conſonet Gummarus. Nunc Doctrinam ipſam inſpiciamus, quam quoties expendo, occurrit mihi identidem illud Auguſtini l. 3. in Julianum c. 3. *Mira ſunt quæ dicitis, nova ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis; mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus.*

§. I I.

Inquiritur quid in communi libertatis notione diſpliceat Eximio Gummaro.

Acerrimè inſectatur Eximius Gummarus hanc libertatis notionem: *poteſtas ad agendum & non agendum poſitis omnibus requiſitis.*

Juvat hanc definitionem in ſua membra partiri ut diſpiciamus, quid in illa viro Eximio tantopere diſpliceat. Tria ego in hâc definitione conſidero: primum eſt, *poteſtas ad agendum*; alterum eſt *poteſtas ad non agendum*; tertium eſt illud, *poſitis omnibus requiſitis*. Peto quid viro Eximio in illâ definitione diſpliceat? Scio diſplicere, quod hâc definitione ſalvâ intelligi vix poſſit, quomodò amor beatificus ſit liber à neceſſitate, imo magis liber, quam actio ulla in ſtatu naturæ lapſæ: ſed hoc etiam Scio paradoxum id eſſe quam maximè, & ante hæc tempora inauditum. Peto in definitione ipſâ quid diſpliceat? diſplicere non poteſt primum illud: *poteſtas ad agendum*, nam ita libertatem definit ipſe, cum dicat illud eſſe liberum, quod eſt in poteſtate noſtrâ: nec poteſt diſplicere illud ultimum, *poſitis omnibus requiſitis*: nam poteſtas ad agendum proxima & completa intelligi nequit, quamdiu omnia ad agendum requiſita non ſunt poſita: diſplicet ergò illud alterum: *poteſtas ad non agendum*, diſplicet, inquam, quod definitio illa cum omnibus requiſitis conjungat poteſtatem ad agendum, & poteſtatem ad non agendum: ſi vero cogitet per definitionem illam importari, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit conjungi

jungi agere cum non agere, tunc ſomniat Eximius Gummarus: nulli enim aut Philoſophorum, aut Theologorum (ſi unum excipias Patrem Gabrielis) umquam venit in mentem combinari poſſe duo contradictoriè oppoſita, qualia ſunt actio, & non actiò. Definitionem ita accipiunt omnes Philoſophi & Theologi, ut cum omnibus requiſitis conjungi tantum intelligant poteſtatem ad agendum, & poteſtatem ad non agendum, non verò ipſum agere & non agere; ſi hoc vellent, ego ipſe cum Doctore Eximio *intrepidè* negarem definitionem illam; ſed negarem, quod affirmat nemo, ut novit ipſe Eximius Gummarus, qui non ignorat quo ſenſu communem libertatis notionem accipiant Theologi ac Philoſophi, nimirum ita, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis intelligatur poteſtas ad agendum conjuncta cum poteſtate ad non agendum; hoc ſenſu acceptam definitionem intrepidè negat Doctor Eximius; vult ergò libertatem ſibi conſtare integram, ſi poſitis omnibus requiſitis ſit poteſtas ad agendum, licet abſit poteſtas ad non agendum, quam putat ad libertatem non requiri; nec caret fundamento, ſed arenoſo, aut ſtramineo, ac falſo, nimirum hôc: amor beatificus eſt

maximè

maximè liber à neceſſitate, imò magis liber à neceſſitate, quàm ullus actus hominis in ſtatu hoc naturæ lapſæ, & tamen voluntas beatorum poſitis omnibus ad amorem beatificum requiſitis, non poteſt non amorem illum elicere, ſive non habet poteſtatem ad non amandum Deum; poteſtas igitur ad non agendum impertinens eſt ad libertatem. Fundamentum hoc infra diſſipabimus, nunc pace Doctoris eximii unum dumtaxat ex ipſius hâc doctrina deduco, quod per ſe fluit.

Corollarium: Nullus umquam hæreticus, ſi rem ipſam ſpectes, umquam evertit libertatem, niſi voce tenus. Cedo vel unum qui umquam negavit poſitis omnibus ad agendum requiſitis hominem habere poteſtatem ad agendum, niſi poteſtatem ad agendum accipias ſenſu Ariſtotelis, D. Thomæ, Auguſtini, Damaſceni, Nemeſy, Clementis Alexandrini & aliorum, ita ut poteſtatem ad non agendum involvat: cedo inquam vel unum & victum me fateor: volve, revolve Bibliothecas omnes, Alumnos tuos habes ad nutum, qui amantiſſimo ſuo Præſidi ſuam non negabunt operam; ſcio te, tuoſque fatigari hoc tempore quærendis ac deſcribendis quibuſdam Theſibus, quas malles non invenire, ſed

invenies

invenies ſi quæras haud ſegniter, ſi non invenias addico operam meam, tu mihi hanc nava operam ut hæreticum adducas unum, qui negavit umquam hominem poſitis omnibus ad agendum requiſitis habere poteſtatem ad agendum; ſed deſpero, ut invenias vel unum, qui uſque adeo inſaniverit, ut negaret hominem poſitis omnibus ad agendum neceſſariis habere poteſtatem ad agendum; atqui poteſtas ad agendum, licet abſit poteſtas ad non agendum, eſt libertas; ita docere placuit Eximio Gummaro; ergo nullus hæreticus umquam homini libertatem abjudicavit, niſi voce tenus.

Exercitii causâ quorumdam hæreticorum Doctrinam de libertate ſcrutemur: reliquos cum otio examinabit Doctor Eximius, uſque dum unum inveniat, qui neget homini in ſtatu naturæ lapſæ relictam poteſtatem ad agendum poſitis omnibus ad agendum requiſitis.

Ut ſimus compendioſi, hæreticos libertatis humanæ everſores, quoniam multi ſunt, ad quatuor claſſes revocabimus.

1. Eſt eorum, qui præſcientiâ Dei, hominis libertatem interimi defenderunt. In hâc claſſe poſuit Auguſtinus l. 5. de Civ. c. 9. & 10. Stoicos: in eâdem claſſe

cenſeri

cenſeri poſſunt Bardeſanes, Marcion, Priſcilianus, Abailardus & Wicleffus, uti & Cicero, cujus ſententiam Auguſtinus loco citato c. 9. proponit, qui omnes præſcientiam Divinam cum libertate hominis conſiſtere non poſſe putarunt. Patres etiam ac Theologi apertè ſunt faſſi, concordiam hanc inter præſcientiam Divinam, & libertatem hominis, eſſe perdifficilem.

Eximie Gummare nunc mihi tuo opus eſt judicio: quid cenſes? Iſti omnes hæretici, qui negarunt libertatem hominis poſſe conciliari cum præſcientiâ Dei, quid intellexere per libertatem, an poteſtatem ad agendum, ut tu intelligis, an verò poteſtatem ad agendum & non agendum? uſque adeone illos deliraſſe autumas, ut negarint divinam præſcientiam de actu hominis futuro componi poſſe cum poteſtate hominis ad agendum? perſuadere id mihi non poſſum. Non patitur hoc eorum argumentum, quo uſi ſunt Marcion, Abailardus, & Wicleffus: *quod neceſſario fit, nec poteſt non fieri, non eſt liberum. Sed quod ſubeſt certæ & infallibili præſcientiæ Dei, neceſſariò fit, nec poteſt non fieri: ergo quod ſubeſt certæ & infallibili præſcientiæ Dei, non eſt liberum.* Tantum abeſt ut putarint cum præſcientiâ Dei non poſſe conſiſtere poteſtatem ad agendum, ut crediderint non

poſſe

poſſe non fieri, quod faciendum præſcivit Deus; per libertatem itaque intellexerunt poteſtatem ad agendum & non agendum; non ergò libertatem negarunt niſi voce tenus, ſi per hanc intelligenda ſit poteſtas ad agendum ſejuncta à poteſtate ad non agendum, uti intelligit Doctor Eximius.

Patres quoque ac Theologi, qui tantopere laborarunt, ut libertatem cum præſcientiâ Dei conciliarent, faſſique ſunt concordiam hanc eſſe difficillimam, putaruntne difficulter intelligi poſſe quomodo cum hoc quod Deus v. g. præſciverit peccaturum Petrum, ſtet quod Petrus poſſit peccare? Eximie Gummare non teramus tempus: res ipſa loquitur. Hoc unum videbatur difficile, quomodo cum præſcientiâ falli neſcia, quâ Deus præſcivit Petrum peccaturum conſiſtat poteſtas non peccandi; per libertatem itaque intelligebant, & Hæretici, & PP. ac Theologi poteſtatem ad agendum & non agendum.

2. Claſſis hæreticorum, qui libertatem homini ademerunt, ſunt Aſtrologi illi qui actiones omnes humanas ex vi ſiderum ſuſpendebant, ſtatuebantque Venerem v. g. ita provocare ad libidinem, Martem ad iram, Mercurium ad furta, ut illa vitare

non

non poſſemus. Nec hi ergò niſi nominetenus libertatem homini negabant, ſi per hanc aliud non intelligatur, ut vult Eximius Dominus, quàm poteſtas ad agendum: non enim negabant provocatum v. g. à Mercurio ad furandum, poſſe furari, imo negabant poſſe non furari.

3. Claſſem aſſignemus Manichæis, qui duo in homine ſtatuebant principia, bonum alterum, alterum malum, dicebantque ſi malum principium vincat, malè nos agere, nec poſſe nos non malè agere; ſi bonum principium ſuperet, bene nos agere, nec poſſe non agere bene: eodem prorſus modo, quo Janſſenius, ipſiuſque aſſeclæ ſtatuunt in nobis duo eſſe principia, gratiam ſcilicet & concupiſcentiam, voluntque per hanc, ſi ſuperior exiſtat ita nos operari malum, ut non poſſimus non operari malum; per illam verò, ſi ſit victrix, ita nos operari bonum, ut non poſſimus non operari bonum. Porro nemo, opinor, Theologus negabit Manichæos libertati humanæ fuiſſe inimicos; non negabit quoque Eximius Gummarus, ſi juramenti ſui ſit memor & obſervans, Janſſenium negaſſe libertatem à neceſſitate requiri ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ. Nunc ita licet ſubſumere: atqui

neque

neque Manichæi umquam fuerunt libertatis humanæ everſores, neque Janſſenius negavit umquam libertatem requiri à neceſſitate ad merendum & demerendum; ſi ad libertatem hanc ſufficiat, ut vult Eximius Dominus Gummarus, poteſtas ad agendum ſejuncta à poteſtate ad non agendum, quod eſt manifeſtum. Numquam enim inficiati ſunt Manichæi, quando principium malum in nobis prædominatur, poſſe nos malè agere, negabant poſſe nos non malè agere, ac propterea libertati hominis adverſabantur. Similiter Janſſenius nuſpiam negavit ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri poteſtatem ad agendum: ſed negabat requiri poteſtatem ad agendum & non agendum. Hinc lib. 6. de gratia Chriſti c. 4. col. 618. ita conqueritur: *Recentiores imaginantur illum tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt in noſtræ voluntatis arbitrio, & illius nos tantùm eſſe dominos, quem pro libitu noſtro, poſitis omnibus neceſſariis, poſſumus facere & non facere, quâ in re juxta Auguſtini ſententiam ſine dubitatione falluntur.*

4. Claſſis Hæreticorum complectitur Monachos Adrumetinos, Jovinianum, alioſque qui efficacem gratiam cum libertate cohærere negabant. Non exiſtimabant

autem

autem iſti Hæretici efficacem gratiam non cohærere cum poteſtate ad agendum, negabant cohærere cum poteſtate ad non agendum. Judicio ergo Eximii Gummari Hæretici illi de libertate non malè ſentiebant quia nuſquam negarunt efficacem gratiam cohærere cum libertate, ſi per hanc intelligatur ſola poteſtas ad agendum ſeparata à poteſtate ad non agendum.

Vides eximie Gummare, vides, ſi quidquam videas, omnes iſtos hæreticos libertati hominis haudquaquam fuiſſe adverſatos, ſi ad libertatem aliud non requiratur, quam poteſtas ad agendum ſecluſâ poteſtate ad non agendum; atque adeo fruſtra contra illos belligeraſſe S. S. P. P. fruſtra fulminaſſe Concilia œcumenica, ac noviſſimè Tridentinum. Suſpicari quis poſſet non aliud tibi fuiſſe conſilium in Compendio, & Dictatis publicis, quam quoad doctrinam de libertate conciliare tibi omnes omnium temporum hæreticos, atque ita videri voluiſti vir ſupra modum pacificus. Unde iſtoc tibi conſilium vir pacifice? Forte ex illo Chriſti, *beati pacifici quoniam ipſi Deum videbunt?* Spero ut ipſum videas aliquando, at non videbis, niſi ſis maneaſque ſeparatus ab hæreticis, quod ut fiat precor ex animo.

Non eo fine hæc dicta ſunt, ut velim ſignificare Eximium Gummarum erroribus Hæreticorum, quos recenſui, eſſe affinem: nunquam mihi venit in mentem hoc vel ſuſpicari: ſcio videlicet virum Eximium; Doctorem ac Magiſtrum in florentiſſimâ Academiâ Lovanienſi non uſque adeo inſanire ut Manichæorum deliria amplectatur, qui teſte Auguſtino l. de duabus animabus cap. 12. *duo animarum genera eſſe dicunt, unum bonum quod ita ex Deo ſit, ut non ex aliqua materia, vel ex nihilo ab eo factum, ſed de ipſa ejus omnino ſubſtantiâ pars quædam proceſſiſſe dicatur: alterum autem, quod nulla prorſus ex parte ad Deum pertinere credunt.* Remotiſſimum eſſe ab hoc delirio Eximium Gummarum ſat ſcio: ſed & hoc ſcio non ideo præcisè Manichæos cenſeri humanæ libertatis peremptores, quia ſomniarunt duo iſtæc animarum genera, ſed quia docuerunt hominis voluntatem à prædominante animâ bonâ, ita allici ad bonum, ut non poſſit non operari bonum, à prædominante animâ malâ ita provocari ad malum, ut non poſſit non operari malum: eo fere modo quo in ſententia Janſenii voluntas à victrice delectatione terrena ita inclinatur ad peccatum, ut eâ ſtante non poſſit non peccare, à victrice delectatione cæleſti ita

determinatur ad operādum bene, ut ea ſtante non poſſit non operari bene: atque adeo hâc ſola de cauſâ & delirium Manichæorum & doctrina Janſenii libertati hominis adverſantur, quia tollunt poteſtatem ad agendum & non agendum poſitis omnibus ad agendum requiſitis. Cum ergo hanc libertatis definitionem *intrepide* neget Eximius Gummarus, fateri debet Manichæos deliraſſe quidem, non tamen libertatem ademiſſe, fateri debet Janſenium nuſpiam negaſſe libertatem ad merendum & demerendum requiſitam, quod dicere non audebit, prohibet in teſtem toties vocatus Deus quoties admiſſus eſt ad gradum Academicum.

§. III.

An communis Libertatis notio ignota fuerit Ariſtoteli & Divo Thomæ?

COmmunis libertatis notio eſt hæc: *Poteſtas quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & non agere.* Ita ſcilicet ut cum omnibus ad agendum prærequiſitis conjungi poſſit pro mero voluntatis beneplacito, tam actio, quàm non actio, ſeu actionis omiſſio. Hanc libertatis definitio-

nem

nem ad multa ſæcula fuiſſe ignotiſſimam cenſet Janſenius, eandem fuiſſe ignotam Ariſtoteli ac D. Thomæ clamat Eximius Gummarus. Definitionem illam fuiſſe notam Ariſtoteli negare non eſt auſus Janſenius*, qui propterea illam paſſim vocitat *Ariſtotelicam*: in hoc puncto, ubi veritatem agnovit Janſenius, à Magiſtro ſuo recedit Eximius Gummarus; utinam receſſiſſet in articulis, quos falſitatis, & hæreſeos damnarunt Pontifices Romani!

Eximium virum eâ, quâ par eſt reverentiâ appellabo, cavebo ne verbo uno aut duriuſculo, aut minus reverenti offendam: nam viro non iraſcor, qui mihi eſt alter ego. Sed doctrinam ejus, quia mira eſt, ſtupeo, quia nova eſt cavebo; quia falſa eſt convincam.

Eximie Gummare doces communem libertatis notionem ignotam fuiſſe Ariſtoteli. Quo id argumento fit veroſimile? Affirmas id in Compendio, aſſeris in Dictatis publicis, nuſquam probas: Solâ tuâ auctoritate hoc vis perſuaſum eſſe Diſcipulis tuis. Aſt ego probabo vulgatam libertatis definitionem ſi rem ipſam ſpectes, maximè fuiſſe notam Ariſtoteli: Adeamus ipſum libr. 3. Ethic. cap. 5. ibi ſic lego: *Quibus in rebus noſtra in poteſtate ſitum eſt agere in iis & non agere.*

 Viden

ſic operari non eſſet ex nobis, ſed ex neceſſitate.
En juxta Doctorem Angelicum poteſtas ad operandum involvit poteſtatem ad non operandum; nam hanc ex illâ deducit: *ſi*, inquit, *operari eſt in noſtra poteſtate, oportet etiam quod non operari eſt in noſtra poteſtate:* ubi ergò non eſt poteſtas ad non operandum, ibi nec poteſtas ad operandum, ac proinde nec libertas. Videturne etiamnum recepta inter Scholaſticos libertatis notio ignota fuiſſe Doctori Angelico? Audi ipſum in 2. diſt. 25. quæ. 1. ar. 1. *ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere poſſit.* Quid clarius? *& hoc Deo*, inquit, *convenit: bona enim quæ facit, poteſt non facere.* Probat D. Thomas libertatem arbitrii competere Deo, quia: *bona quæ facit, poteſt non facere.* & q. 24. de veritate art. 3. Deo tribuit liberum arbitrium, *quia poteſt hoc velle & non velle.* Eâdem q. a. 1. ita philoſophatur: *Nullus debet puniri, vel præmiari pro eo, quod non eſt in ejus poteſtate facere & non facere: ſed homo juſtè à Deo punitur & præmiatur pro ſuis operibus: ergo homo poteſt operari & non operari, & ita eſt liberi arbitrii.* Poterat-ne ita philoſophari Doctor Angelicus, ſi ignota ipſi erat vulgatiſſima hæc libertatis definitio: *poteſtas ad agendum & non agendum?* Poterat-ne dicere: *Homo poteſt operari & non operari,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ri, & ita eſt liberi arbitrii? Clariſſimè etiam mentem ſuam exponit 1. p. q. 83. art. 3. *Proprium*, inquit, *liberi arbitrii eſt electio. Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quod poſſumus unum recipere alio recuſato, quod eſt eligere.*

At, inquit, Eximius Gummarus in Compendio Pag. 12. Liberum arbitrium definit S. Thomas 1. 2. q. 1. 2. 1. *Facultas voluntatis & rationis.* Ita eſt, ſed quid inde conficis vir eximie? Ignotam fuiſſe S. Thomæ hanc libertatis notionem: *Poteſtas ad agendum & non agendum?* Fallit conſequentia, nam *facultas voluntatis & rationis* juxta Doctorem Angelicum includit poteſtatem ad agendum & non agendum. Ne gratis hoc videar affirmare, audi ipſum in q. q. diſputat. q. 2. de potentia a. 3. *Voluntas, in quantum voluntas, cum ſit libera, ad utrumlibet ſe habet. Poteſt enim voluntas agere vel non agere, ſic vel ſic facere, velle & non velle. Et ſi reſpectu alicujus hoc voluntati non conveniat, hoc accidet voluntati non in quantum voluntas eſt.* Facultas igitur voluntatis & rationis, hoc eſt, libertas, ex mente D. Thomæ involvit habitudinem ad utrumlibet, ſive poteſtatem ad agendum & non agendum: de quo ne ullus relinquatur dubitandi locus, obſervandum eſt Doctorem Angelicum illam ipſam definitionem ſumpſiſſe ex Magiſtro Sententiarum

tiarum qui l. 2. diſt. 24. ita ſcribit : *liberum verò arbitrium eſt facultas rationis & voluntatis, quâ bonum eligitur, gratiâ aſſiſtente, vel malum eâdem deſiſtente, & dicitur liberum, quantum ad voluntatem, qua ad utrumlibet flecti poteſt. Arbitrium verò quantum ad rationem, cujus eſt facultas, vel potentia illa, cujus etiam eſt diſcernere inter bonum & malum.*

Credam-ne igitur D. Gummaro, viro licèt eximio, receptiſſimam inter Theologos libertatis notionem ignotam fuiſſe Theologorum Principi? Credere non poſſum, ut maximè velim, non poſſum hîc captivare intellectum meum in obſequium Doctoris Eximii: Theologorum namque Princeps S Thomas definitionem hanc: *facultas rationis & voluntatis* deſumpſit ex Magiſtro, qui illam ita explicat, ut planiſſimè coincidat cum hac: *Poteſtas ad agendum & non agendum.* Hanc tamen confidenter ait Doctor Eximius ignotam fuiſſe S. Thomæ. An ergo exiſtimat S. Thomam, qui Magiſtrum commentatur, Magiſtrum non legiſſe?

§. IV.

An vulgata libertatis notio ignota fuerit S. Auguſtino.

Fuiſſe ignotam S. Auguſtino ſine hæſitatione ullâ pronuntiat Eximius Gummarus in Compendio Theologiæ pag. 12. citius ego credam ſuum ſibi nomen ignotum fuiſſe Auguſtino, quam communem libertatis notionem. Ipſum conſulamus l. de duabus animabus c. 12. ubi Manichæos liberi arbitrii everſores convincit: *peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quam ob rem illæ animæ, quidquid faciunt, ſi naturâ, non voluntate faciunt; id eſt, ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent: ſi denique abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.* Potuit-ne S. Auguſtinus clarius ſignificare menti ſuæ impreſſam eſſe communem hanc libertatis definitionem, *Poteſtas ad agendum & non agendum?* Definit Auguſtinus Animas malas in ſententia Manichæorum peccato haud eſſe obnoxias, ſi quidquid faciunt, naturâ, non voluntate, hoc eſt neceſſario, non liberè faciunt: obſerva quomodo explicet illud non voluntate ſive non liberè faciunt,

ciunt, *id eſt*, inquit, *ſi libero ad faciendum & ad nonfaciendum motu animi carent.* E contrario igitur, voluntate, ſive liberè facere, ita ut peccato teneri quis poſſit, ſi Auguſtinum audis, eſt habere liberum *adfaciendum & ad nonfaciendum* animi motum. Et tamen Diſcipulos ſuos jubet credere Eximius Gummarus ignotam fuiſſe Auguſtino hanc libertatis definitionem : *Poteſtas ad agendum & non agendum, &c.*

Quænam igitur libertatis definitio nota fuit Auguſtino ? nota indubiè fuit aliqua. *Si lubet*, inquit Eximius Gummarus in Compendio pag. 12. *forma tibi definitionem ex hac doctrina S. Auguſtini l. 3. de lib. arbitrio c. 3. voluntas noſtra, quia eſt in poteſtate noſtra, libera eſt nobis.*

Lubet enimvero : atque ex hâc Doctrinâ formo definitionem hanc : libertas eſt poteſtas ad agendum, ſive id nobis eſt liberum quod eſt in poteſtate noſtrâ. Rectène formata eſt definitio ? Rectiſſimè, inquies, & planè ad mentem Auguſtini. Bene habet, hanc ergo accipiamus. Notiſſima fuit hæc Auguſtino, hanc tradidit non ſemel, non iterum, ſed ſæpius. Nunc ego ſic formo argumentum : Auguſtinus liberum definit *id quod eſt in noſtrâ poteſtate*, atqui illud tantum eſt in noſtrâ poteſtate, quod

pro

pro libitu noſtro poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſumus facere & non facere. Nequaquam, inquit, Janſenius lib. 6. de gratiâ Chriſti c. 4. *Recentiores imaginantur illum tantummodò actum eſſe in noſtrâ poteſtate, id eſt noſtræ voluntatis arbitrio, & illius nos tantum eſſe Dominos, quem pro libitu noſtro, poſitis omnibus neceſſariis, poſſumus facere & non facere, quâ in re juxta Auguſtini ſententiam ſine dubitatione falluntur.* Quid mihi & tibi eſt Janſeni, quid me interpellas? Tuum hic judicium non poſtulatur. Cum Eximio Gummaro nunc diſputo. Iterum ergo formo argumentum ut prius: Auguſtinus liberum definit *id quod eſt in noſtrâ poteſtate*, atqui illud tantum eſt in noſtrâ poteſtate, quod pro libitu noſtro poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſumus facere, & non facere, ergo illud tantum nobis eſt liberum, quod pro libitu noſtro, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſumus facere, & non facere. Ad hoc argumentum quid ais Eximie Gummare? Majorem admittis, mihique ultro obtrudis, minorem, ſi admiſeris concluſionem nunquam evades, eſt enim exacta ad regulas Dialecticæ: ad minorem ergo quid reſpondes? Negas cum Janſenio, non admittis cum Ariſtotele, D. Thoma, S. Damaſceno, Nemeſio, Auguſtino

&

& quibus non? *Intrepidè* inquit Gummarus in Dictatis publicis, *negamus.* De iſto *intrepide* Eximie Domine conveniam te infra, nunc probo, quod tam intrepidè negas, illud tantum eſſe in poteſtate noſtrâ, ſive liberum nobis quod perinde à nobis fieri poteſt, & non fieri. Manifeſte id probavi ex Ariſtotele & D. Thoma. Ille enim lib. 3. Eth. c. 5. ait *quibus in rebus, noſtrâ in poteſtate ſitum eſt agere, in iis & non agere, & in quibus non agere, in iis eſt & agere:* Hic verò locum illum Philoſophi explanans: *Si operari*, inquit, *eſt in noſtrâ poteſtate, oportet etiam, quod non operari ſit in noſtrâ poteſtate.* Damaſcenum audiamus l. 2. de fide c. 26. *eorum*, inquit, *quæ ſunt, quædam in nobis ſita ſunt, quædam non ſunt. In nobis ſita illa ſunt quorum liberam habemus poteſtatem, ut aut ea faciamus, aut non faciamus. . . . propriè vero in noſtrâ poteſtate conſiſtunt ea omnia, quæ ad animam ſpectant & de quibus conſultamus. Conſilium vero eſt eorum, quæ ex æquo contingunt. Contingit autem ex æquo id, quod tam ipſum poſſumus, quam huic oppoſitum. . . . hæc ergo ſunt, quæ ex æquo ſunt in nobis contingentia, ut moveri & non moveri.* Audin Eximie Domine illud: *in nobis ſita ſunt illa, quorum* liberam habemus poteſtatem ut aut ea *faciamus, aut non faciamus?* Audin & illud: *propriè in noſtrâ poteſtate conſiſtunt ea*

omnia. . .

omnia . . . quæ ex æquo contingunt. Contingit autem ex æquo id, quod tam ipſum poſſumus quam huic oppoſitum? An non eſt luculentum iſtud Damaſceni teſtimonium? Damaſcenus autem fere ad verbum, illud deſcripſit ex Nemeſio lib. de naturâ hominis c. 40. habes ergo & teſtimonium Nemeſii: addamus aliud ex Clemente Alexandrino qui l. 4. Stromatum ſub finem ita ſcribit. *Id eſt in noſtra poteſtate, cujus ex æquo ſumus Domini, & eius quod ei adverſatur, ut philoſophari vel non; & credere, aut non credere. Per hoc ergo quod ſumus æquè participes utriuſque eorum, quæ inter ſe adverſantur, invenitur fieri poſſe id quod eſt in noſtrâ poteſtate.* Intrepidè etiamnum negas vir. Eximie illum dumtaxat actum eſſe in noſtrâ poteſtate quem æquè ponere poſſumus & non ponere? Sed nihil agimus, niſi Auguſtinum Eximio Gummaro opponamus. Auguſtinus lib. de naturâ & gratiâ c. 47. contra Pelagium colligit videndi poſſibilitatem eſſe in noſtrâ poteſtate: *aut ego,* inquit, *non intelligo, quid dicat, aut ipſe. Quomodo enim in poteſtate noſtrâ non eſt videndi poſſibilitas, ſi in poteſtate noſtra eſt non videndi neceſſitas, quia in poteſtate eſt cæcitas, quâ id ipſum videre poſſe nobis, ſi volumus, adimamus?* Supponit ergo S. Auguſtinus veriſſimum eſſe illud, quod ex Philoſopho ſtatuebat Do-

ctor

ctor Angelicus: *Si operari eſt in noſtrâ poteſtate, oportet etiam quod non operari ſit in noſtrâ poteſtate*; quodque dicebat Clemens Alexandrinus: *Id eſt in noſtrâ poteſtate, cujus ex æquo ſumus domini & ejus, quod ei adverſatur, ut philoſophari vel non*, &c. Hinc S. Auguſtinus vix umquam ait in noſtrâ eſſe poteſtate aliquid agere, quin continuò addat, vel non agere. Sic eodem capite 47. lib. de naturâ & gratiâ: *de odoratu autem quod dicit, nonne parum attendit, non eſſe in noſtrâ poteſtate poſſe odorari, vel non poſſe, ſed in noſtrâ poteſtate eſſe, hoc eſt in voluntate odorari vel non odorari?* Et hom. 15. ex 50. *in tuâ poteſtate eſt conſentire vel non conſentire.* Plura hujuſcemodi teſtimonia collegit ex Auguſtino Antonius Ricardus in diſputatione Theologicâ de libero arbitrio contra Janſenium, ſed cavebunt S. Theologiæ ſtudioſi hunc librum pervolvere in Collegio Pontificio, cui præeſt Eximius Gummarus. Securius legent Auguſtinum Cornelii Janſenii, Litteras Montaltii, Rituale Alethenſe, & hujuſcemodi plura damnata volumina, quorum legendorum facultas amplior concedi dicitur ex quo Eximius Doninus *Franciſcus van Viannen* à Romana Legatione factus eſt redux.

§. V.

§. V.

Ampliùs probatur communem libertatis definitionem notam fuiſſe Auguſtino.

NON multis eſt opus: paucis ita argumentor. Libertas quam homini lapſo S. Auguſtinus contra Hæreticos aſſeruit, ſola illa eſt, cujus concordia cum gratia efficaci difficillimè intelligi poteſt: atqui ſola libertas, quæ eſt poteſtas ad agendum & non agendum eſt ejuſmodi ut illius concordia cum gratia efficaci difficillimè poſſit intelligi: ergo ſola libertas quæ eſt poteſtas ad agendum & non agendum, ea eſt, quam homini lapſo S. Auguſtinus contra Hæreticos aſſeruit. Conſequentia, ni fallor, eſt legitima. Utramque præmiſſam propoſitionem ſigillatim demonſtro.

Ac primam quidem ex ipſo Auguſtino, qui ſæpius ingeminat libertatis cum gratia efficaci concordiam vix ab homine intelligi, nedum explicari poſſe. Epiſtolâ 2. ad Valent. *difficillimam* vocat. Epiſt. 1. *difficillimam & paucis intelligibilem*. l. de gratia Chriſti c. 47. *iſta quæſtio*, inquit, *ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum*

arbi-

arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Et lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. c. 18. *Ipſa etiam*, inquit, *ratio ..... quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat; ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur: rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſuperbâ impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.*

Satis, opinor, ex hiſce teſtimoniis eſt manifeſtum S. Auguſtinum per libertatem intellexiſſe illud tantum, cujus cum gratia efficaci concordia eſt *difficillima*, & *paucis intelligibilis.*

Numquam autem concordia hæc difficilis, nedum difficillima, & paucis intelligibilis viſa fuiſſet Auguſtino, niſi Sanctus hic Pater per libertatem intellexiſſet poteſtatem ad agendum & non agendum, quæ eſt altera propoſitio demonſtranda, quamvis demonſtratione non egeat cum per ſe ſit manifeſta: Quis enim vel tyro Theologus conciliare nequeat facillimè efficacem gratiam cum libertate hominis, ſi hæc non ſit alia, quam poteſtas ad agendum? Gratiâ efficax dat ipſam actionem, dat ipſum agere: eſtne difficile, eſtne difficillimum, eſtne paucis intelligibile quomodo cum illâ gratiâ, quæ dati pſum agere conſiſtat poteſtas

teſtas ad agendum ? Eximie Gummare non ſum ego Doctor Eximius, ne quidem ſum Eruditiſſimus Dominus; ne quidem Baccalaureus Formatus, Theologus ſum de communi grege, vix aut ne vix quidem mediocris, videor tamen intelligere utrumque, quomodò efficax gratia, quæ dat ipſum agere, ſtet cum poteſtate ad agendum, videor, inquam, intelligere quomodò cum efficaci gratiâ ad amandum Deum, conſiſtat poſſe amare Deum. Eximie Domine ſume experientiam domi, interroga unum aliquem ex alumnis tuis, cui ingenium vix eſt mediocre: poteſne fili chariſſime intelligere quod cum efficaci gratiâ quæ dat ipſum credere, conſiſtat poſſe credere, ſive quomodò is, cui Deus efficacem largitus eſt gratiam ad credendum, poſſit credere ? reponet, ni fallor, Alumnus ille, iſtud quidem intelligo Eximie Domine ac Magiſter noſter, ſed quomodo is poſſit non credere, qui gratiam ad credendum nactus eſt efficacem, hoc non intelligo, non capio. Quod intelligere poteſt Alumnus ille, hocne viſum eſt Auguſtino prodigioſi ingenii, *difficillimum* & paucis *intelligibile?*

Videor mihi hîc audire Eximium Dominum muſſitantem, mirari ſe concordiam illam

illam libertatis cum gratia viſam fuiſſe Auguſtino *difficillimam & paucis intelligibilem*, cum non uſque adeo difficilis viſa ſit Eximio Domino Franciſco van Viane, qui in Dictatis de Gratia cap. 10. ita loquitur: *Quamquam ut ad materiam redeamus, non tam abſtruſa & remota ſit ab hominum cogitatione efficacis illius gratiæ, & humanæ libertatis concordia. . . . . . . Imo ſi res benè inſpiciatur* (quàm eſt dolendum quod S. Auguſtinus non benè rem inſpexerit) *tantum difficultas eſt ut libertas convenienti definitione deſcribatur. . . . . ſed quidquid ſit ſeu de experientia libertatis, ſeu de definitione ejus Philoſophica, nihil de illis tangere volumus &c.*

Deſine mirari vir Eximie; ratio, ob quam concordia libertatis cum gratia S. Auguſtino viſa ſit difficillima, quæ Eximio Domino van Viane viſa eſt minus abſtruſa, minuſque difficilis, hæc eſt, quod S. Auguſtinus per libertatem intellexerit, quod intelligunt omnes orthodoxi, ſcilicet, poteſtatem ad agendum, & non agendum poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis: hoc videbatur Sanctiſſimo Doctori difficillimum, & paucis intelligibile, quomodo gratia, non quidem omnis, ſed efficax ſeu congrua, infallibiliter, inſuperabiliter, & indeclinabiliter obtineat effectum, deique

ipſum velle & operari, & tamen voluntati maneat integra poteſtas ad agendum & non agendum, ita ut voluntatis pervicaciâ fieri poſſit, ut gratia efficax ſecundum naturam ſuam conſiderata non obtineat effectum illum, ob quem à Deo datur, atque ita efficax non ſit; Hinc S. Auguſtinus vehementer erat ſollicitus, *ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur: rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſuperbâ impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.*

Eximius verò Dominus *van Viane* quæſtionem de libertate, ut philoſophicam explodens, ſenſa ſua de gratia, ejuſque efficacia liberrimè depromit: tum poſtea: *Forſitan quiſpiam exſpectabit, ut etiam oſtendamus, quod cum illâ gratiæ efficacia conſiſtant illa, quæ pro humanæ libertatis defenſione prætendit Philoſophia. Sed potiùs, quam in iſtam diſputationem in hoc Tractatu deſcendam, malo oſtendere, quod ad iſtam deſcendere non ſit neceſſe.* Cenſet tamen conciliationem libertatis cum gratia haud eſſe difficilem: *tantum difficultas eſt ut libertas convenienti definitione deſcribatur.* Ita vir ille Eximius.

§. VI.

§. VI.

Probatur communis definitio Libertatis authoritate multiplici.

EXimius Gummarus communem libertatis notionem hoſtiliter inſectatur, quia omni authoritatis pondere eſt deſtituta. *Quod authoritatem attinet*, inquit in Dictatis publicis; *non ſcimus pro eâ hactenus allegari vel unum Eccleſiaſtici Concilii, vel unius Pontificis Decretum, aut unius è Sanctis Patribus ſententiam.* Eximius Dominus totus eſt candidus, ignorantiam ſuam non erubeſcit: ego verò non capio, qui fieri poſſit ut Doctor Theologus uſque adeo craſſam habeat ignorantiam eorum quæ ignorare non poteſt Tyro Theologus. Oportet ſanè peregrinum eſſe in Scripturis Sacris, in Conciliis, in Pontificum Decretis, iis etiam quorum obſervantiam religioſam promiſit ac juravit non ſemel; in Sanctis Patribus, quorum teſtimonia pro communi libertatis definitione tam ſunt obvia & luculenta ut ea ignoraſſe omnia Eximium Gummarum credere non poſſim, licèt ſinceriſſimè affirmare ſit viſus. Suſpicor virum reſtrictione uſum purâ puta mentali, quæ, ut ego qui-

dem ſentio, numquam & nuſquam eſt licita. Compendii cauſâ authoritatem multiplicem pro communi libertatis definitione adducam paucis, quamvis ſit difficile in tanta copia eſſe compendioſum : conabor tamen.

Scripturæ ſacræ pro communi definitione libertatis.

Libertatem ita delineavit Spiritus Sanctus in Scripturis ſacris gen. 4 verſ. 7. *nonne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male, ſub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* En libertatem depictam per poteſtatem agendi bene & malè, per dominium in appetitum; dominium autem explicat Doctor Angelicus per poteſtatem agendi & non agendi ut vidimus §. 3. Eccleſiaſtici 31. v. 1. libertas hominis ita ſuccinctè exprimitur : *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus; facere mala & non fecit.* Id eſt, qui liberè non eſt tranſgreſſus, qui liberè mala non fecit; libertas igitur dicit poſſe facere & poſſe non facere. An nulla hæc eſt authoritas? Plura occurrunt in Sacris paginis teſtimonia, quibus libertas hominis exprimitur per poteſtatem ad oppoſita, ſed illa prætereo, tum quia ſunt ſatis obvia, tum quia volo eſſe compendioſus, & hinc inde pauca delibare ex multis.

Concilia pro communi libertatis definitione.

COncilium Tridentinum contra Hæreticos ſtatuens gratiam libertati hominis non obeſſe, ita loquitur ſeſ. 6. c. 5. *Tangente deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem .... inſpirationem recipiens, illam & abjicere poteſt.* Volebant hæretici inſpirationem Spiritus Sancti non ſtare cum libero arbitrio, quia inſpirationem accipiens, illam abjicere non poteſt. Contra definit Tridentinum, inſpirationem Spiritûs S. libertati non officere, quia inſpirationem accipiens, illam abjicere poteſt, hoc eſt, poteſt non agere cum inſpiratione illâ: ac propterea *Anathema* dicit ibidem Canone 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum... Deo excitanti atque vocanti .... non poſſe diſſentire ſi velit.* Definit ergo poſſe diſſentire, id eſt poſſe non agere cum gratiâ, ut ſua homini conſtet libertas. Hoc ipſum ſolerter advertit nobilis Thomiſta Didacus Alvares diſp. 115. num. 4. *Ad liberum arbitrium*, inquit, *neceſſariò requiritur, quod poſitis omnibus antecedenter ſecundum ordinem rationis, vel temporis ad actum prærequiſitis, poſſit operari, vel non operari; ita videlicet ut cum iiſdem prærequiſitis ſtet ſimul in libero arbitrio facultas & potentia, quâ poſſit ope-*

 rari,

rari, ſi velit, vel non operari, ſi velit. *In hac concluſione conveniunt omnes Catholici; habetur enim definita in Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 4.*

Concilium Senonense in decretis fidei decr. 15. *Cum reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui, appoſueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum, ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum ſuam: nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, & facere mala, & non fecit; quod ſub eo ſit appetitus ejus, & dominetur illius: ac denique percurrenti S. Scripturam paſſim obvium ſit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitium aſſeveret, &c.* Quid porro eſt, *liberum utramvis in partem hominis arbitrium*, niſi poteſtas agendi & non agendi? Hæc & alia allegata ſunt ſæpius. ~~Et interim~~ Eximius Doctor ignorat (quod mirum) pro definitione illa vel unum allegari Eccleſiaſtici Concilii Decretum.

Pontifices Romani pro communi libertatis notione.

Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnarunt hanc propoſitionem in ſenſu Baii: *Quod voluntarie fit, etſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* Ad libertatem igitur non eſt ſatis quod homo voluntariè agat, ſi agat neceſſariò, hoc eſt ſi non poſſit non agere; non poſſe enim non agere, eſt neceſſariò

ceſſariò agere, ut vel ex ipſis terminis eſt notum; ex mente ergo horum Pontificum, ad libertatem requiritur, ut ita homo agat voluntariè, ut poſſit non agere; per libertatem itaque intellexerunt poteſtatem ad agendum & non agendum.

Innocentius X. & Alexander VII. Hæreſeos damnarunt ſententiam Janſenii docentis ad merendum & demerendum non requiri libertatem à neceſſitate: quid hi Pontifices per libertatem à neceſſitate intelligebant? Indubiè illud quod ad merendum & demerendum requiri negabat Janſenius, atqui Janſenius requiri negabat poteſtatem ad agendum & non agendum poſitis omnibus requiſitis (nega Gummare, ſi auſis) illud ipſum igitur per libertatem intellexerunt Pontifices propoſitionem damnantes in ſenſu Janſenii. Agnoſce vir Eximie non unius aut alterius, ſed quinque Pontificum Authoritatem pro communi libertatis notione, quam rejicis tam *intrepidè*.

Sancti Patres pro communi libertatis notione.

HIc cogor eſſe compendioſus, nam SS. Patres occurrunt tam multi, ut copia nos obruat; ut mirum ſit, Eximium

Doctorem S. Theologiæ Gummarum dicere potuiſſe, neſcire ſe pro definitione illâ adduci vel unius è SS. Patribus ſententiam. Magni Patris S. Auguſtini ſententiam adduximus, uti & Damaſcenum. Paucos alios ex multis qui primò occurrunt in medium proferamus; S. Irenæus l. 4. adverſus hæreſes cap. 71. hunc titulum præfigit: *Oſtenſio quod homo liber ſit & ſuæ poteſtatis, ad hoc ut ab ſe eligere poſſit meliora & contraria.* Caput ipſum concludit his verbis: *qui operantur quidem illud* (bonum) *gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cum poſſent non operari illud: hi autem, qui illud non operantur, judicium juſtum recipient Dei, quoniam non operati ſunt bonum, cum poſſent operari illud.*

Clemens Alexandrinus l. 2. Strom. *Nos autem liberâ & abſolutâ poteſtate eligere & vitare à Domino datum eſſe hominibus, à Scripturis accepimus.*

Origenes hom. 20. in Num. *Sui arbitrii eſt anima, & in quam voluerit partem eſt ei liberum declinare.*

Lactantius lib. 4. de divin. inſtit. c. 24. *Qui dat præcepta vivendi, amputare debet omnium excuſationum vias, ut imponat hominibus parendi neceſſitatem, non vi aliquâ, ſed pudore, & tamen libertatem relinquat, ut & præmium ſit conſtitutum parentibus, quia poterant non parêre, ſi vellent;*

&

& non parentibus pæna, quia poterant parère ſi vellent. Viden libertatem relictam parentibus, *quia poterant non parere?* Viden etiam libertatem relictam non parentibus, *quia poterant parere?*

S. Athanaſius contra idola: *anima eſt libera & ſui arbitrii: poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari.*

Optatus Milevitanus l. 7. contra Parmenianum: *homicida ſcelus dum nemo cogit* (id eſt dum liber eſt) *poteſt & facere, poteſt & non facere: adulterium Mæchus, dum deforis nemo compellit, poteſt admittere, poteſt & non admittere?*

S. Epiphanius Hæreſi 16. *propterea quod poſſit peccare & non peccare, ab alio peccatorum ſupplicia ſumuntur, alius vero laudem refert rectè factorum.*

Gregorius Nyſſenus lib. 7. de Philoſophiâ cap. 2. *concupiſcere & non concupiſcere, mentiri & non mentiri, & quæcumque talia, in quibus conſiſtant virtutis & vitii opera, hæc ſunt noſtro libera arbitrio.*

Idem lib. eodem cap. 1. *Si nullius actionis ita eſt principium homo, ut in ipſius poteſtate ſit eam facere aut non facere, ex ſuperfluo habet unde conſultet. Ad quid enim utetur conſilio, nullius exiſtens actionis Dominus?*

S. Hieronymus Dial. 3. contra Pelag.

Atticus perſonam Catholici ſuſtinens, Critobulum Pelagianum ſic affatur: *Hoc eſt quod tibi in principio dixeram, in noſtra eſſe poſitum poteſtate, vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum ſervetur arbitrium.*

S. Proſper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 12. *Certiſſimè noverimus nullum fidelium à Deo non diſcedentem relinqui, neque cujuſquam ruinam ex Divina eſſe conſtitutione diſpoſitam, ſed multis, qui jam judicio rationis utuntur, ideo liberum eſſe diſcedere, ut non diſceſſiſſe ſit præmium, & ut quod non poteſt niſi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.*

Ennodius Ticinensis Epiſtola ad Conſtantinum 23. *Inventus eſt homo.... aſſerens.... in unâ tantum parte, quæ deterior eſt, eligendi datam eſſe licentiam. O ſchiſmaticam propoſitionem, quæ juxta Apoc. ſcriptas habet in fronte blaſphemias! Quæ iſta libertas eſt, ubi hoc ſolum datur velle quod puniat? aut quare electionem nominet, ubi unam tantum partem aſſerit fuiſſe conceſſam?*

Eximie Gummare *inventus eſt qui arbitretur* quando concupiſcentia in homine eſt victrix *in unâ tantum parte quæ deterior eſt eligendi datam eſſe licentiam.* Noſti virum? Vir eſt Eximius. Erubeſcit, opinor, Doctor Exi-

Eximius incauto excidiſſe ſibi, pro communi libertatis definitione non adducivel unius è Sanctis Patribus ſententiam.

Theologi antiqui pro communi Libertate notione.

THeologorum omnium Coripheum S. Thomam audivimus §. 3.

MAGISTER SENTENTIARUM n 2. diſt. 24. liberum arbitrium ita defini: *Facultas rationis & voluntatis, & dicitur liberum quantùm ad voluntatem, quæ ad utrumqe flecti poteſt, arbitrium verò quantùm ad rationem cujus eſt facultas, vel potentia illa cujus eſt diſcernre inter bonum & malum:* Non quævis ergo voluntas, ſi Magiſtrum audimus pertiet ad liberum arbitrium, ſed illa dumtaxat *quæ ad utrumque flecti poteſt*, ſive quæ poteſt agere & non agere. Quando igitur Doctr Angelicus libertatem definit, quod ſit *facultas rationis & voluntatis*, intelligendus ſt ad mentem Magiſtri, à quo illam definitionem accepit.

Idem Magiſter ibidem diſt. 25. *liberum arbitrium eſt poteſtas libera ad utrumlibet quia liberè poteſt moveri ad hoc vel illud.* Quid larius? *Nec tamen*, inquit, *omnia futura ſub liberi arbitrii poteſtate veniunt, ſed ea tantum quæ per liberum*

rum arbitrium poſſunt fieri vel non fieri. Quid manifeſtiùs?

S. Bonaventura Doctor Seraphicus in 2. diſt. 25. p. 1. art. unic. q. 3. dominium voluntatis quod pertinet ad libertatem exponit per hoc, *quod potentia poteſt eſſe in actu & ceſſare ab actu ſecundùm ſuum imperium & ſecundùm proprium motum.*

Scotus Doctor ſubtilis in 1. diſt. 39. *actus primus* (nempe voluntas) *conſideratus in illo inſtanti, in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo* (nempe volitionis) *ita ponit illum in eſſe, inquam effectum ſuum contingentem, quod ut prior naturaliter poſſet æque ponere aliud oppoſitum in eſſe.* Sed ſubtilior fortaſſis eſt Scotus quam ut intelligatur à Gummaro; illud tamen intelliget opinor, quod libera voluntas ita ponat actum, ut poſſit æque ponere oppoſitum: hoc eſt ita agat, ut poſſit non agere. Plura Doctoris ſubtilis teſtimonia ſunt ad manum. Sed Compendio utor adverſus Auctorem Compendii.

Alexander Alensis 2. p. q. 72. mem. 2. art. 2. §. 2. in voluntate duas quodammodo facultates diſtinguit, naturalem alteram, alteram liberam: *eſt quædam*, inquit, *facultas voluntatis naturalis, quæ eſt determinata ad unum tantum: & ita non converti-*

vertitur cum libero arbitrio: eſt alia facultas voluntaria: quæ ſe habet ad oppoſita, & hæc convertitur cum libero arbitrio. Ecce libertatis indolem in eo ponit, quod ſe habeat ad oppoſita, ſive quod potentia poſſit agere & non agere.

Guilielmus de Rubione in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. *in beatis eſt uſus liberi arbitrii, non reſpectu actus beatifici, qui non eſt in eorum poteſtate, ſed reſpectu omnium aliorum in eorum poteſtate exiſtentium, ut videlicet poſſint ab iis in eſſe poni vel non poni.*

Gabriel Biel in 2. diſt. 25. *potentia libera ut diſtinguitur contra naturalem, eſt potentia indifferens ad oppoſita, quæ ſcilicet in ſuâ poteſtate habet utrumque oppoſitorum, ſcilicet facere & non facere. Hæc dicitur libertas contingentiæ. Sic accipitur, quando eſt principium meriti & demeriti: nam per hæc quæ vitare non poſſumus, nec meremur, nec demeremur.*

Eximie Gummare ex innumeris Theologis antiquioribus adduxi pauculos, ne multas cogar implere paginas, adduxi illos ipſos, quos à parte ſuâ ſtare mentiuntur Calviniſtæ cum Janſenio. Omitto Theologos recentiores, quia hos contemnere te docuit Janſenius. Præterire tamen non poſſum Doctores quoſdam Lovanienſes majores tuos, quos contemni æquum non

eſt

eſt à te Doctore Lovanienſi, ſi ſuperis placet, Eximio.

Doctores Lovanienſes pro communi libertatis definitione.

RUARDUS TAPPERUS florentiſſimæ Academiæ Lovanienſis Cancellarius art. 7. contra Lutherum, *liberum arbitrium*, inquit, *eſt facultas quâ poſitis omnibus requiſitis ad eligendum & agendum, poſſumus non eligere & non agere.* Hinc ibidem propoſitione 4. ſic colligit: *omnes gratiæ, quæ ſunt nobis operandi principia, aut quibus dirigimur & protegimur, & univerſæ quæ præcedunt tempore vel naturâ Dei operationem efficacem, eſſe poſſunt ſine uſu & fructu; & in vanum à nobis accipi, ita ut eis poſitis poſſimus non credere, non converti, non benè operari, nec voluntati adducunt neceſſitatem.*

Magnus ille JOANNES A BONONIA redux è Synodo Tridentina, in Univerſitate Lovanienſi Profeſſor anno 1555. in diſputatione de libero arbitrio, ſic nobis illud definit: *Eſt facultas quâ poſitis omnibus requiſitis ad eligendum & agendum, poſſumus non eligere & non agere; ita videlicet, quod omnibus ſimiliter ſe habentibus, quando eligimus, poſſumus non eli_re.* Addit dein; *compertiſſimum eſſe, quod ob libertatem voluntatis quâcumque poſitâ gratiâ etiam,*

etiam eâ, quâ facit converti, poſſumus eam negligere & nolle converti.

Jacobus Latomus adverſus Eraſmum de merito pag. 175. *Nos cum Deo operamur liberè & voluntariè tamquam actuum noſtrorum domini, habentes in noſtrâ poteſtate agere vel non agere: eligimus enim quæ Deo placent, & quæ illi diſplicent repudiamus, ſicut de viro Sancto dicit Eccleſiaſticus* 31. *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.*

Guilielmus Lindanus Panopliæ Evangelicæ lib. 3. cap. 17. *Homini poſt Adami lapſum ſuum eſt reliquum arbitrium, quo aut agere poteſt, aut non agere, aſſentiri, aut diſſentiri, atque adeo non aſſentiri.*

Cunerus Petri Epiſcopus Leovardienſis de libero arbitrio cap. 2. ait Doctores aſſerere: *Liberum Arbitrium eſſe facultatem, cujus ratione in hominis poteſtate eſt, ut poſitis omnibus, quæ electionem & actionem præcedunt, & ad eam prærequiruntur, poſſit ſe ipſum ad eligendum & agendum flectere, vel ab iiſdem abſtinere.* Quam libertatis notionem & ipſe probat ab experientia: *Quantumcumque,* inquit, *ratio aliqua, vel ſuaſio, vel inſpiratio nos ad conſentiendum & agendum inclinet, & moveat; experimur tamen in nobis, quod poſſimus acquieſcere, vel non acquieſcere.*

Joannes Malderus Epiſcopus Antver-

verpienſis 1. 2. q. 13. art. 6. *Rectè*, inquit, *liberum Arbitrium creaturæ definieris: potentiam quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, & eodem modo ſe habentibus poteſt agere & non agere.*

JOANNES WIGGERS 1. 2. quæſt. 6. art. 1. & 2. n. 6. *hæretici hujus temporis, ut Calvinus, Lutherus & alii non agnoſcunt in nobis libertatem ullam, quæ opponatur neceſſitati in operando; ſed tantummodo quæ opponatur coactioni. .... Sed contra hos certa fide tenendum eſt, in homine etiam poſt lapſum ſupereſſe naturalem facultatem liberam .... quæ requirit in potentiâ quamdam indifferentiam ad agendum & non agendum poſitis jam omnibus ad actionem prærequiſitis, unde hi articuli à duobus Pontificibus ſunt reprobati: quod voluntarie fit, etiamſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit. Item: ſola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Addamus GUILIELMUM ESTIUM Lovanii celebrem lib. 2. diſt. 24. §. 13. *nunc poſt lapſum homines ita agunt bene vel male, ut poſſint non agere, & proinde retinent liberum arbitrium: non obſtante eo, quod nihil agant bene ſine gratiâ Dei.*

Eximie Gummare Compendio exhibui pro communiſſimâ libertatis notione auctoritatem multiplicem Scripturæ ſacræ, Conciliorum, Pontificum, S. S. Patrum, Theo-

Theologorum, principum, illorum etiam quos à ſe ſtare mentiuntur hæretici: adduxi etiam authoritatem præſtantiſſimorum florentiſſimæ Lovanienſis Academiæ Doctorum. Intereà præfidenter pronuntias, definitionem illam non tanta niti authoritate ut eam admittere cogaris; *intrepidè* inquis, *negamus definitionem illam*: intrepidus es vir Eximie tot ac tantis adverſariis circumſeſſus? Adverſantur tibi Scripturæ Sacræ, adverſantur Concilia Eccleſiaſtica, adverſantur Pontifices, Chriſti Vicarii, adverſantur SS. Patres & Theologi Orthodoxi omnes, interea tu perſiſtis intrepidus? Quis timorem excuſſit omnem, quis frontem abſtulit, ut non erubeſcas ad auctoritatem, quâ major non poteſt excogitari? Auctoritati tantæ, tamque multiplici quid opponis Eximie Gummare? opponere non potes aliud quàm illud Janſenii lib. 6. de gratia Chriſti cap. 4. col. 618. *Recentiores imaginantur illum tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, id eſt noſtra voluntatis arbitrio, & illius nos tantùm eſſe dominos, quem pro libitu noſtro poſitis omnibus neceſſariis poſſumus facere & non facere, quâ in re juxta Auguſtini ſententiam, ſine dubio falluntur.* Judicium illud Janſenii quod Recentiores ſine dubio falluntur, tantum apud te habuit ponderis, ut *intrepidè* negare

non dubitaveris definitionem illam, quam ex Sacris Litteris, ex Conciliorum ac Pontificum Decretis, nec non ex SS. Patribus hauſerunt Theologi omnes Orthodoxi, tum Antiqui tum Recentiores. Nec definitionem illam ſolummodo rejicis intrepidè, ſed contemnis potius ac averſaris. *Non meretur*, inquis, *tantillum operæ . . . . non meretur etiam ſubſidium ſenſûs compoſiti & diviſi*: nec contemnis dumtaxat, ſed hoſtiliter inſectaris, tamquam erroribus Pelagianorum & Semi-Pelagianorum affinem: *Nimium*, inquis *propendet in Pelagianorum & Semi-Pelagianorum errores.* Ergòne Spiritus Sanctus in ſacris paginis, Eccleſia in Conciliis, Pontifices in conſtitutionibus, Sancti Patres in ſuis libris, Theologi Orthodoxi omnes nimium propenderunt in Pelagianorum & Semi-Pelagianorum errores? Vah! dictum petulans Doctoris Eximii.

§. V I I.

Inanis quidam conatus Eximii Gummari.

Arduum eſt contra torrentem obniti: rejicere vulgatiſſimam libertatis notionem eſt obniti contra torrentem S. S. Patrum, ac Theologorum omnium: quare etſi

etſi Eximius Gummarus voce tenus aſſerat *intrepidè* ſe negare definitionem illam, oſtendit tamen reipſâ non omnem ſibi abeſſe timorem, ac formidinem. Nam poſteaquam definitionem illam hoſtiliter fuiſſet inſectatus, conatuſque illam Diſcipulorum animis excutere, ſenſit animo ſuo illam ipſam adhærere tenacius, quàm ut penitus rejicere poſſet. Quare ita ſubnectit obſerv. 2. in Dictatis; *hæc equidem non eo fine dicta ſunt, quaſi illa definitio, libertatis amori beatifico accommodari non poſſet.*

Eximie Gummare, ſi definitio illa amori beatifico poſſit accommodàri, cur illi tam es infenſus? cur illam rejicis? cur negas intrepidè, ſaltem ore tenus? ſi poteras illam ſenſis tuis accommodare, debebas tantillum ſaltem deferre S. S. Patribus ac Theologis Orthodoxis, qui definitionem illam concinnarunt ex ſacris paginis, atque Eccleſiæ decretis: debebas ſuppreſſiſſe tuum illud contemptu plenum: *non meretur tantillum operæ..... non meretur etiam ſubſidium ſenſûs compoſiti & diviſi.*

Juvat interim intelligere quâ ratione poſſit vir Eximius communem libertatis definitionem, quam contra torrentem rejicit *intrepidè* accommodare amori beatifico: quia, inquit, *poſitis omnibus ad agendum prære-*

 quiſitis

quiſitis, poſſent Beati, quantum nimirum eſt ex parte modi agendi (ſi objectum Deo melius exiſteret, vel ſi amoris Domini ceſſatio ipſo amore melior foret) aliud illud objectum amare, vel ab amore divino ceſſare : poſſet ergo definitio accommodari explicando hoc ſenſu : quantum eſt ex parte modi tendendi; ſed non meretur tantillum operæ. &c. obſcurior hic es, Eximie Gummare, quàm ut mentem tuam facile poſſim aſſequi : libertatis definitionem hanc *poteſtas ad agendum & non agendum poſitis omnibus prærequiſitis*, conaris accommodare amori beatifico : conatus tuus eò debet tendere, ut oſtendas beatos poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, ac proinde poſitâ etiam clarâ viſione Dei, poſſe pro libitu amare Deum, poſſe etiam non amare, ſeu ceſſare ab amore Dei ; non ita quidem, ut cum clara viſione Dei ſimul conſiſtat & amor & non amor, conjungendo amorem cum non amore, ſed ut cum clara Dei viſione, reliquiſque ad amorem beatificum prærequiſitis tam poſſit conjungi non amor, quam poſſit conjungi amor. Hoc eſt oſtendendum, ut libertatis definitio quam *intrepidè* rejicis, accommodetur amori beatifico. Quæro ergo ex te Doctore ac Magiſtro : poſitâ clarâ Dei viſione, poſſuntne beati non amare Deum clarè viſum ?

Imo

Imo, inquies, *Nam poſſent beati, quantum nimirum eſt ex parte modi agendi (ſi objectum Deo melius exiſteret, vel ſi amoris Domini ceſſatio ipſo amore melior foret) aliud illud objectum amare, vel ab amore divino ceſſare.* Hoccine eſt definitionem illam amori beatifico accommodare? nonne eâdem ratione Janſenius eamdem definitionem accommodabit operationi, ad quam homo determinatur à delectatione victrici, terrena vel cæleſti? Imò multò faciliùs definitionem illam ejuſmodi operationi accommodabit Janſenius: nam poſitâ delectatione victrici cæleſtis gratiæ ad amandum v. g. Deum, poſſet homo, quantum nimirum eſt ex parte modi agendi (ſi major ſuperveniret delectatio terrena, quæ non eſt conditio impoſſibilis, uti eſt illa quam ponit Eximius Gummarus) non amare Deum, ac per conſequens amabit liberè eâ libertate, quæ ſatis eſt ad merendum. Immeritò igitur damnata eſt hæreſeos Janſenii de libertate doctrina; quod dicere non audebit Vir Eximius, ſi memor ſit obſervantiæ religioſæ erga conſtitutiones Apoſtolicas, quam promiſit ac juravit antequam factus ſit Eximius. Eodem prorſus modo definitionem illam Calviniſtæ, Stoici, Manichæi, aliique omnes omnium temporum hæretici accommodabunt erro-
 ribus

ribus ſuis, immeritoque cenſebuntur ab Eccleſia proſcripti velut hoſtes libertatis humanæ: inanis ergo ac futilis eſt conatus Eximii Gummari, conantis communem libertatis notionem accommodare amori beatifico: nec ſervit ad aliud, quàm ut fucum faciat Diſcipulis, videaturque ad actionem humanam, qualem cenſet eſſe amorem beatificum, requirere libertatem à neceſſitate, cum re ipſâ non requirat aliud quàm libertatem à coactione, quæ ſola reperitur in amore beatifico, utpote qui profluit à voluntate beatorum cum perfecto rationis judicio, ſed ita profluit, ut poſitis omnibus requiſitis, inter quæ eſt viſio Dei clara, non poſſit non profluere, atque adeò profluat neceſſariò, non ergò liberè à neceſſitate, hoc eſt, ita ut poſſit non profluere, ſed tantùm liberè libertate à coactione, quâ contentum eſſe Eximium Gummarum vel ex eo patet, quod in Compendio pag. 12. ita diſcurrat: *Amor beatificus eſt Actus humanus & perfectè voluntarius, ac proinde etiam liber libertate eſſentiali*: En libertate eſſentiali contentus eſt Vir Eximius, ut amor beatificus cenſeatur actus humanus: ſolam autem libertatem à coactione eſſe libertatem eſſentialem, nemo neſcit Theologus.

§. VIII.

§. VIII.

Expenditur Gummarianum illud : definitio libertatis hæc : poteſtas ad agendum, & non agendum nimium propendet in Pelagianorum & Semi-Pelagianorum errores.

EXimius Gummarus horret vehementer hæreſim. Quis credat ? Vulgatiſſimam Philoſophorum, Theologorum, ac S. S. Patrum libertatis notionem *intrepidè* negat. Qua de cauſa ? Quia *nimium propendet in Pelagianorum & Semi Pelagianorum errores.* Hinc implacabile ipſius odium in receptiſſimam libertatis definitionem. Idem odium in eandem definitionem eodem impulſus motivo concepit Janſenius lib. 6. de Gratia Chriſti in præfatione ubi hæc lego : *defendendo illam indifferentem libertatem Calvinum quidem ſubvertimus, ſed Pelagii maculam non diluimus.* Hinc in fine ſui Pſeudo-Auguſtini concinnavit *paralelum erroris Maſſilienſium & opinionis quorundam recentiorum.*

Laudo Janſenium quod Pelagii hæreſim (ſaltem in ſtatu naturæ lapſæ) magnopere ſit averſatus, eâdem de causâ laudo, ac vehementer laudo Eximium Gummarum :

ſed quod Janſenins à Pelagiano errore ſeceſſerit ad dogma Calvini in hoc non laudo. Occurrit mihi illud antiquum :

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim

Item illud Horatii :

Dum ſtulti vitant vitia in contraria currunt.

Utinam memor fuiſſet Janſenius illius moniti, quod apud ipſum lego lib. 6. de Gratia Chriſti in præfatione. *Quæcumque tandem Eccleſiam erroris peſtis oppugnet..... abſit ut quicumque Doctor Catholicæ veritatis ita unum declinet errorem, ut in alterum incidat.*

Illud ipſum accidiſſe ſuperioris ſæculi hæreticis jam pridem obſervarunt Catholici Scriptores,qui cum illis fortiſſime conflixerunt. Unum alterumve dumtaxat audiamus. *Proteſtantes*, inquit Stapletonus tomo 2. pag. 410. in quæſtione quodlibetica 3. *Pelagianos errores nobis impingunt, ſeque ac ſuam doctrinam Pelagianorum hæreſim impugnare ajunt. Sed id dum faciunt in Manichæi inſanias ruunt, & Scyllam Pelagianam declinantes, Charybdim Manichæam impingunt : quid enim eis prodeſt contra Pelagianos adjuvantem gratiam aſſerere, cum tamen cum Manichæis liberum arbitrium tollant.* Ac demum ita concludit : *egregia ergò & callidiſſima, ſed vana & improba aſtutia. Pelagianiſmum ſe impugnare Proteſtantes ajunt, & Pelagianiſmi Catholicos redarguunt, dum Pelagium decli-*

declinantes , vel Manichæo adhærent , vel in tertium quoddam extremum delati , deteriora Pelagianis docent.

Driedo etiam Doctor Lovanienſis lib. de concordia liberi arbitrii cap. 1. *Sunt jam ſicuti fuerunt & olim , improbi divinæ gratiæ defenſores contradicentes quidem Pelagianæ hæreſi , eorumque erroribus , ſed dum inſipienter id faciunt , incidunt & ipſi in duo præcipua mala , unum quod Catholicos Patres , & totum Doctorum Scholaſticorum cœtum Pelagianorum nomine criminantur : alterum quod etiam ipſi alio perverſitatis genere inſanientes , hæreſim novi erroris inducunt.*

Eximie Gummare ſcrupulum mihi moves , incipit profecto & mihi diſplicere vulgata libertatis definitio , poſtquam intelligo , quod nimium propendeat in Pelagianorum , & Semi-Pelagianorum errores: ſi vel utrumque , quamtumvis parum , in iſtos errores propendeat , mihi certum eſt illam tecum *intrepidè* negare. Sed quo argumento probas definitionem illam propendere in hæreſim Pelagianam, aut Semi-Pe'agianam ? Aſſeris id quidem , & non obſcurè illud ipſum innuit Janſenius ; ſed quo id argumento ſit veroſimile ? Præcipitantiæ, opinor , & temeritatis me ipſe argueres , ſi tibi crederem ſine ullo argu-

mento

mento affirmâti rem tantam poſtquam mihi impoſuiſti tam turpiter in Compend.pag. 12. ubi velut è tripode pronuntiaſti definitionem illam ignotam fuiſſe Ariſtoteli, D. Thomæ, & S. Auguſtino; ego, qui contrarium audiveram aliquando, tres illos adivi, ac certiſſimè comperi definitionem illam ipſis fuiſſe notiſſimam. Miratus fui ſummopere, ſimulque ſtatui poſthac tibi, Doctori licèt Eximio, non credere tam facilè, niſi probes. Doce ergo nunc me definitionem illam propendere in errores Pelagianorum & Semi-Pelagianorum. Uſpiamne definitionem illam Pelagiani objecerunt Auguſtino? Uſpiamne illam rejecit Auguſtinus? In Compendio non reſpondes, reſpondes in Dictatis obſervatione 2. his verbis: *nec tamen hi eam* (definitionem) *Auguſtino umquam objecerunt, quod nimirum tunc eſſet ignota.* Iterum obtundis ignorantiam temporibus Auguſtini: Qui probas vir Eximie? ſed provinciam viro Eximio impono nimis arduam. Hoc ut probet multo egebit tempore, imo probabit numquam, facilius ego & paucis probabo vulgatam libertatis notionem notiſſimam fuiſſe temporibus Auguſtini cum Pelagianis dimicantis, imo objectam fuiſſe Auguſtino à Juliano, fuiſſeque ab Auguſtino admiſſam ac comprobatam,

tam. L. 1. oper. imp. ſic loquitur Julianus, *Omnis, quæ ratione ſuſcipitur de aliquâ re diſputatio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur id de quo diſputatur, ita ergò & nos &c. Nunc quoque videamus, quæ libertati Arbitrii definitio competat, ut plaqum ſit, quis noſtrûm conſentiat, quis repugnet.* Hâc conditione ab Auguſtino acceptâ, æquiſſima certè quamque recuſare non poterat, definitionem ſuam adducit Julianus: *Libertas Arbitrii, quâ à Deo emancipatus homo eſt, in admittendi peccati & abſtinendi à peccato poſſibilitate conſiſtit.* Diſplicent Auguſtino hæ voces: *quâ à Deo emancipatus homo eſt,* quas obiter caſtigat, ſed illud ad nos in præſenti nihil attinet. Proſequitur Julianus: *Factum eſt enim animal rationale mortale, capax virtutis & vitii.* Habemus hîc definitionem libertatis ad peccandum, quam ſtatuebat Julianus: poſſibilitas admittendi & abſtinendi à peccato, quæ æquivalet huic. Poteſtas ad peccandum & non peccandum; quæ deſcendit ab hac generaliori, *Poteſtas ad agendum & non agendum.*

Quid ad libertatis notionem hanc Auguſtinus? ne voculam quidem unam huic definitioni opponit, hoc unum improbat, quod Pelagiani dicant voluntatem *de ſuo juſtitiam concipere*, petitque tantùm ut intelligant, *non aliud eſſe Arbitrium laudabiliter liberum*

rum, niſi quod fuerit Dei gratiâ liberatum. De libertatis verò definitione ut ſic querela nulla: atqui obſiſtere acriter ac reclamare fortiter debuiſſet Auguſtinus, ſi putaſſet libertatis definitionem illam doctrinæ ſuæ eſſe adverſam, quemadmodum Janſenius & Eximius Gummarus, quia definitionem illam cenſent doctrinæ ſuæ inimicam reclamant illico non ſine ſtomacho.

Eodem libro 1. eandem libertatis definitionem objicit Julianus: *Voluntas*, inquit, *illo ipſo tempore quo peccat, poteſtatem habet recedere à malo, & facere bonum, ut conſtet ratio libertatis.* Quid Auguſtinus? Annuit, modò gratiæ auxilium Julianus non excludat: *Ex quo*, inquit, *homo incipit uti voluntatis Arbitrio, & peccare & non peccare poteſt: ſed alterum horum non facit niſi adjutus ab eo, qui dixit: ſine me nihil poteſtis facere.*

Eodem libro idem Julianus eandem rurſus inculcat definitionem: *Libertas arbitrii poſſibilitas eſt vel admittendi vel vitandi peccati, expers cogentis neceſſitatis, quæ in ſuopte jure habet, utram ſuggerentiæ partem ſequatur.* Quid Auguſtinus? id unum reponit: *Homo non poteſt ſervus eſſe juſtitiæ & liber à dominante peccato, niſi eum Filius liberaverit.* Definitionem prætерit intactam.

Eodem libro definitionis ſuæ memor

Julianus, ita loquitur: Si ergo eſt ut ratio poſtulat, arbitrii libertas propulſatrix neceſſitatum, ut nemo ſit vel bonus vel malus cui non ſit liberum eſſe contrarium. Quid Auguſtinus? more ſuo hoc unum movet, *Charitatem eſſe quæ fecit liberum, ad ea quæ bona facienda ſunt.* De libertatis notione querela iterum nulla. Hîccine tacuiſſet Auguſtinus, ſi libertatis definitionem illam propendere in errores Pelagianorum fuiſſet vel ſuſpicatus? Credat qui potuerit.

Pelagius eandem libertatis definitionem uſurpavit: ſic enim ſcribit ad Innocentium Papam. *Ecce ad Beatitudinem tuam Epiſtola iſta me purget, in qua pure atque ſimpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvatur auxilio.* Hæc Pelagii verba lego apud Auguſtinum lib. 1. de Gratia Chriſti initio capitis 31. ex quibus patet eam habuiſſe Pelagium libertatis notionem, quam tantopere deteſtatur Eximius Gummarus. Quid porro Auguſtinus? illamne repudiat; illamne ſuſpicatur errori obnoxiam? illamne velut novam ſibique ignotam miratur? nihil minus, non hæc ipſum cura vexabat, divinum dumtaxat auxilium ipſum habebat anxium, iſtinc metuebat inſidias: *quærimus*, inquit, *quo auxilio liberum*

liberum adjuvari dicat Arbitrium : ne forte ſicut ſolet, velit intelligi legem atque doctrinam. Idem Pelagius in Epiſtola ad eundem Innocentium; quæ extat tomo 1. Conciliorum pag. 876. & apud Baronium ad annum Chriſti 417. n. 36. ita fidem profitetur. *Liberum ſic eſſe confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio; & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos qui cum Ioviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare : uterque enim tollit libertatem arbitrii. Nos verò dicimus hominem ſemper ; & peccare, & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrii. Hæc eſt fides Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus & tenemus.* Hanc Epiſtolam Innocentio mortuo accepit Zozimus, cui illa placuit vehementer, ſed fraudem latere timuit Auguſtinus. *Iterum quærimus*, inquit, lib. de Gratia Chriſti cap. 33. *quo auxilio nos indigere fateatur*, in verbis iſtis Pelagii. *Nos vero dicimus hominem ſemper & peccare & non peccare poſſe, ut ſemper nos libe i confiteamur arbitrii*, quibus complexus eſt libertatis notionem Eximio Gummaro tam odioſam, nihil mali ſubodoratus eſt Auguſtinus erroris, iſtic nullum ſuſpicatus eſt periculum, periculum tamen ingens ſolertiſsime advertit ſolus D. Gummarus cum Janſenio. Vi-

Videor hic audire obſtrepentem Eximium Dominum : non ſolus ego cum Janſenio , ſed & ipſe Auguſtinus ſimilem libertatis definitionem obnoxiam agnoſcit. lib. operis imperfecti ubi ſic Juliano reſpondet, *ſi liberum non eſt niſi quod duo poteſt velle, id eſt bonum & malum : liber Deus non eſt , qui malum non poteſt velle. De quo etiam ipſe dixiſti , Deus eſſe niſi juſtus non poteſt : ſiccine Deum laudas , ut ei auferas libertatem ?* ergo ex mente Auguſtini ad libertatis definitionem non pertinet duo poſſe velle , ſcilicet bonum & malum.

Reſpondeo Eximie Domine in formâ, ut ſolent Theologi in Schola , diſtinguendo conſequens. Ergo ex mente Auguſtini ad definitionem libertatis in genere , prout etiam libertatem Dei complectitur , non pertinet poſſe velle bonum & malum , admitto conſequentiam : ergo ex mente Auguſtini ad definitionem libertatis , quæ ſoli homini competit ad merendum ac demerendum capaci non pertinet poſſe velle bonum & malum nego conſequentiam. In eo ſcilicet errabant Pelagiani , quod bene & malè agendi indifferentiam ad libertatem in genere poſtularent , quod eſt ſacrilegum cum ſic Deo libertas abjudicetur, qui malum velle non poteſt.

Ab

Ab hoc vero Pelagianorum errore longiſſimè abeſt innocens definitio, quam tu proſequeris. *Poteſtas ad agendum & non agendum*; longè hæc eſt diſſimilis ab illa *poteſtas ad agendum bonum & agendum malum.* Prior definitio explicat naturam libertatis, quam libertatem *contradictionis* vocant Theologi, quia agere & non agere ſunt contradictoria. Poſterior definitio explicat naturam libertatis, quam libertatem contrarietatis appellamus, quia agere bonum & agere malum ſunt contraria. Prior definitio competit libertati cujuſvis arbitrii; poſterior definitio non convenit libertati cujuſvis arbitrii, quod volebant Pelagiani, qui proptereà merito vapulabant ab Auguſtino, quia ſic Deo auferebant liberum arbitrium, ſed convenit tantum libertati hominis viatoris meriti ac demeriti capacis; in quo nuſpiam Pelagianis contradicit Auguſtinus.

Imo numquam Auguſtino de humanâ libertatis notione cum Pelagianis certamen fuit, ſed in eandem utrique convenerunt. Hinc S. Auguſtinus l. 2. de nuptiis & concupiſcentia c. 3. *Apertè pronuntiat liberum in hominibus eſſe arbitrium utrique dicimus.....quid obtendis ad fallendum communis dogmati tegmen, ut operias proprium crimen.* Ubi fatetur de libero arbitrio

trio hominis commune ſibi eſſe dogma cum Pelagianis. Poteratne Auguſtinus fateri commune ſibi eſſe de libero arbitrio dogma cum Pelagianis, ſi ſolum nomen ipſis commune erat; definitio verò nomini ſubjecta tantum diverſa? Numquamne aut uſpiam faſſus eſt, aut potuit confiteri communem ſibi de gratia cum Pelagiano doctrinam eſſe? Nemo id dixerit. Quam ob rem autem? Quia quamquam Pelagius neceſſariam eſſe ad bona opera gratiam aſſerebat, aliud tamen gratiæ nomine intelligebat quàm Auguſtinus. Similiter ergo, ſi liberi arbitrii nomine aliud intelligebat Pelagius, aliud Auguſtinus, non poterat dicere S. Doctor de libero arbitrio humano commune ſibi eſſe dogma cum Pelagianis. Atqui tamen hoc dicit apertè. Non aliud ergo per liberum arbitrium humanum intellexerunt Pelagiani, aliud Auguſtinus. Ergo idem omnino intellexerunt utrique. Deſine ergo, Eximie Gummare, deſine definitionem illam arrodere quæ Auguſtino cum Pelagianis fuit eadem. Deſine illam coram alumnis tuis traducere, tamquam quæ *nimium propendet in Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum errores.* Definitionem illam uſurpant hodie omnes Catholici, qui tamen à Pelagianiſmo ac Semi-Pelagianiſmo abhorrent maximè,

mè, ſperabo fore ut à Calviniſmo abhorreat tantopere Eximius Gummarus Theologiæ Doctor Lovanii.

§. IX.

Expenditur illud Gummarianum: Definitiò illa libertatis: poteſtas ad agendum & non agendum, &c. modo non eſt neceſſaria Theologiæ.

ITa cenſet Eximius Gummarus in Compendio pag. 12. Quiſquis compendium concinnat, non ſolet uti verbis otioſis: otioſum ergo non eſt iſtud *modò*; *modò*, inquit, *non eſt neceſſaria Theologiæ.* Quorſum tam ſtudiosè adjungit hanc particulam *modò*, id eſt, hoc tempore. Opinor Eximium virum pro candore ſuo diffiteri noluiſſe communem illam definitionem libertatis omnibus retro temporibus maximè fuiſſe Theologiæ neceſſariam, ſed *modò* hoc tempore, quo plurimum cœpit invaleſcere Theologia Janſeniana, *non eſt neceſſaria Theologiæ.* Ante hæc tempora S. Theologiæ Profeſſores ſolebant communem illam libertatis notionem ſuorum diſcipulorum animis imprimere, inculcare, explanare, nonnulli etiam hanc libertatis definitionem ubique receptiſſimam negare

gare

gare non auſi, ſubſidium illi accerſebant à ſenſu diviſo, & compoſito: at verò modò hoc tempore rotundè pronuniat Eximius Gummarus: *Definitio illa libertatis: poteſtas ad agendum & non agendum, non eſt neceſſaria Theologia.* Si definitionem illam objicias, *intrepidè*, inquis, *negamus illam.* Quî ſic? *Quia non adeo bene*, inquit in Dictatis publicis, *de Theologia merita eſt, ut eam vel explicare teneamur..... non meretur tantillum operæ..... non meretur etiam ſubſidium ſenſus compoſiti & diviſi.* Vah implacabile odium in definitionem certè innocuam!

Definitio illa libertatis eſt tamquam lapis aliquis Lydius quo facillimè exploramus, utrum doctrina aliqua libertatis ſit everſiva, exempli causâ: ſtatuebat Janſenius lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 4 col. 406. *Quamdiu in hâc vita mortali vivimus, eſſe in homine luctam quamdam duarum delectationum, noxia & benefica, terrena atque cæleſtis; quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem ac pronum trahit*, & quidem infallibiliter: rationem reddit cap. 6. col. 412. *Quod enim ampliùs delectaverit, ſecundum id operemur neceſſe eſt*: Delectationes autem iſtæ, quarum luctam perpetuam in anima conſiderat, ponit actus quoſdam voluntatis indeliberatos, ac proinde minimè liberos: ad benè ope-

randum victricem delectationem terrenam: ſi delectatio cæleſtis ſit victrix, ſive major delectatione terrenâ, ait voluntatem bene operari infallibiliter, ita ut non poſſit non operari bene; ſi verò delectatio terrena ſuperet cæleſtem, ait voluntatem infallibiliter operari malè, ita ut non poſſit non malè operari. Hæc eſt doctrina Janſenii compendio exhibita. Si velim explorare an in hac ſententia voluntas operetur liberè, quando operatur ſeu benè ſeu malè, aſſumo communem libertatis definitionem velut Lydium quemdam lapidem, & hæc mecum verba facio: in hac ſententia unum è prærequiſitis ad bene operandum eſt victrix delectatio cæleſtis; poſitâ cæleſti delectatione victrici voluntas infallibiliter operatur bene, & quamdiu manet hæc delectatio victrix, non poſſit non operari bene; contra poſitâ ac manente victrice delectatione terrenâ voluntas infallibiliter operatur malè, ita ut non poſſit non operari malè: concludo: ergo voluntas in hac ſententia non operatur liberè eâ libertate quâ opus eſt ad actus humanos, quibus meremur aut demeremur; nam hæc libertas definitur: poteſtas ad agendum & non agendum poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis: ut ergò voluntas in hac ſententia operaretur liberè, debe-

rec

tet poſitis omnibus ad operandum prærequiſitis, ac proinde poſitâ victrici delectatione cæleſti, poſſe non operari bene, poſitâ victrici delectatione terrenâ non operari malè. Viden Eximie Gummare quam commodè per definitionem hanc libertatis velut Lydium lapidem Diſcipuli tui poſſent deprehendere, quod doctrina Janſenii libertati ſit inimica? & tu definitionem illam tantopere contemnis, tantopere averſaris?

Ejuſdem definitionis beneficio Nemeſius cap. 35. everſæ libertatis arguit Stoicos, quia ex ipſorum deliriis ſequebatur hominem non habere indifferentem ad agendum & non agendum arbitrii facultatem, ſed ad unam partem fatali neceſſitate adſtringi: *Si enim iiſdem cauſis poſitis*, inquit, *ut ajunt ipſi, omnino neceſſe eſt eadem fieri: nec fieri poteſt ut aliquando ſic, aliquando aliter eveniat, quod illa ex æterno tempore præfixa ſtatutaque ſint; neceſſe eſt & animalis appetitum omni modo, & ex omni parte iiſdem cauſis poſitis ita fieri. Quod ſi verò etiam appetitus neceſſariò conſequitur, ubi relinquitur quod in noſtra poteſtate eſt? Debet enim eſſe liberum: eſſet autem liberum, ſi iiſdem poſitis cauſis in nobis eſſet aliquando appetere, aliquando refugere.*

Audin vir Eximie unde colligat Nemeſius ex Stoicorum deliriis ſequi nihil relinqui in poteſtate noſtra, ſive nihil eſſe li-

berum, quia iiſdem poſitis cauſis in nobis non eſt aliquando appetere, aliquando refugere: *Eſſet autem liberum*, inquit, *ſi iiſdem poſitis cauſis in nobis eſſet aliquando appetere, aliquando refugere*. Quid hoc eſt aliud, quàm: eſſet nobis liberum, ſi poſitis iiſdem cauſis ſeu ad agendum prærequiſitis poſſemus agere & non agere? agnoſcis, opinor, definitionem illam libertatis, à qua tam vehementer abhorres, & palam profiteri non es veritus in Dictatis: Definitio illa non *adeo bene de Theologia merita eſt, ut eam vel explicare teneamur . . . . . . non meretur tantillum operæ*. Et in Compendio tuo pagin. 12. *Definitio illa modò non eſt neceſſaria Theologiæ*.

Eximie Gummare in Compendio ſtuduiſti eſſe compendioſus; limites tamen Compendii non exceſſiſſes addendo particulam unam nimirum to *hic*: concipere potuiſſes propoſitionem tuam hoc modò: *definitio illa libertatis* &c. *modo hic*, id eſt Lovanii, in Hallis, in Schola Facultatis Theologicæ *non eſt neceſſaria Theologiæ*; nam alibi, ubivis terrarum definitio illa libertatis eſt recepta etiam hoc tempore, ubique cenſetur Theologiæ neceſſaria. Appello Academias orbis univerſi; imo neſcio an in Facultate ipſa Theologica Lovanii inveniendus ſit alter, qui definitionem illam tam intrepidè

pidè rejiciat præter te, & Eximium fortè *D. Franciſcum van Viane*, quem in omnibus preſſo ſemper ſequeris veſtigio.

Quam eſt dolendum Eximie Gummare quod Eccleſia te non habuerit Doctorem ante annos centum & amplius: profectò Joannes Calvinus numquam humanum negaſſet arbitrium: non enim alia de cauſa libertatem in hoc ſtatu naturæ lapſæ negavit, quam quia certò ſibi perſuadebat cum Theologis omnibus, libertatem ſitam eſſe in poteſtate ad agendum & non agendum. Audi Calvinum in Antidoto Concilii Tridentini ad can. 5. ſeſſ. 6. *de verbo ne moveamus rixam, ſed quia per liberum arbitrium intelligunt* (Tridentini Patres) *eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera & ſoluta, titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent auctorem*: Macte animis Calvini ſoboles: Tridentini quidem Patres per liberum arbitrium intelligebant *eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera & ſoluta*: ſed tempora ſunt mutata; Eximius D. Gummarus Huygens poſt Janſenium intrepidè negat definitionem illam, negat illam *modo* neceſſariam eſſe Theologiæ, liberum ergo admitte arbitrium, admiſiſſet certiſſimè Calvinus, ſi in hæc tempora incidiſſet, ſi audiviſſet Eximium Gummarum qui intrepidè negat definitionem

 illam;

illam, quam ſolam averſabatur Calvinus: ſic enim loquitur lib. 2. inſtit. cap. 2. §. 6. *liberi arbitrii hoc modo dicitur homo: non quia liberam habeat boni aquè ac mali electionem, ſed quia malè voluntate agit non coactione.* Rurſus lib. 3. in Pigh. pag. 163. *Semper teſtatus ſum me de nomine pugnare nolle, ſi hoc ſemel conſtitueretur, libertatem non ad facultatem boni aquè ac mali eligendi, ſed ad ſpontaneum motum & conſenſum referri debere.* Et pag. 166. *Semper me dixiſſe teſtis eſt mea Inſtitutio, per me non ſtare quin liberum hominis arbitrium vocetur, modo ſana verbi definitio nobis conſtet.*

Omittendum non eſt quod habet Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 2. num. 7. *cenſeo cavendas eas voces quæ abſurdum aliquid ſonant, præſertim ubi perniciosè erratur, quotus autem, quæſo quiſque eſt, qui dum aſſignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illum eſſe mentis ſuæ & voluntatis Dominum, quæ flectere ſe in utramvis partem à ſe ipſo poſſit?* Mentem ſuam clariſſimè exponit ibidem num. 3. *hoc tamen extra controverſiam ponunt, virtutes & vitia eſſe in noſtra poteſtate, nam ſi noſtræ, inquiunt, electionis eſt, hoc vel illud agere, ergo & non agere. Rurſum ſi non agere, ergo & agere: liberâ autem electione agere videmur quæ agimus, & ab eis abſtinere quibus abſtinemus: Ergo ſi quid boni agimus, poſſumus id omittere: ſi quid mali perpetramus poſſumus id quoque fugere.* Viden

Viden Eximie Gummare quam nullo negotio Calvinus adduci potuerit ut liberum admitteret arbitrium ? tantummodò debuiſſent Tridentini Patres negare definitionem illam libertatis, quam tu intrepidè negas; fateri tantum debuiſſent definitionem illam non eſſe neceſſariam Theologiæ, quod tu palam profiteris Lovanii pax illico fuiſſet ſumma Calvinum inter & Eccleſiam, pacem hæreticam non amabant Patres Tridentini, veritatis Orthodoxæ, quam impiæ pacis amantiores, ſi viguiſſet tum temporis qui viget hodie pacis illius fuiſſet proxeneta percommodus, unus mediator Calvini & Eccleſiæ Eximius Gummarus.

§. X.

Quam ob cauſam Eximius Gummarus tantopere averſetur vulgatam libertatis definitionem?

EXimius Gummarus communem libertatis definitionem negat Theologiæ eſſe neceſſariam ? Quia, inquit, non fuit nota Ariſtoteli, & S. Auguſtino ac S. Thomæ. At vero ſupra oſtendi fuiſſe notam & Ariſtoteli, & S. Auguſtino, & D. Thomæ; nullo ergo fundamento nititur vir Eximius.

Vehementer ego ſuſpicor longè aliam fuiſſe

fuiſſe cauſam Eximio Domino negandi definitionem Theologiæ eſſe neceſſariam, illam ipſam videlicet propter quam Janſenius eandem definitionem tantopere averſabatur, quia videbat libertatem iſtâ definitione explicatam non conſiſtere cum illa gratia, quam ſolam cum Janſenio admittit in ſtatu hoc naturæ lapſæ; hac de cauſa ſuſpicor negaſſe definitionem illam Theologię eſſe neceſſariam: nec fundamento exiſtimo carere hanc meam ſuſpicionem: etenim poſtquam Eximius Dominus in ſuo Compendio pag. 12. dixiſſet: *Definitio illa libertatis, &c. modò non eſt neceſſaria Theologiæ*, ita mox proſequitur: *ridiculum proinde eſt propter illam negare quod gratia hujus ſtatus ultra poſſe det ipſum velle.* Si Eximius Dominus ſine fuco admitteret in hoc ſtatu cum Catholicis omnibus, contra Calvinum, & Janſenium gratiam, quam recipiens homo poteſt abjicere cui poteſt diſſentire voluntas ſi velit, cui reſiſtitur aliquando, quæ relinquit voluntati poteſtatem ad agendum, & non agendum, ad volendum & non volendum, quæ aliquando dat velle, aliquando non dat velle, prout voluntas pro beneplacito ſuo aliquando cum gratiâ vult, aliquando cum ſimili gratiâ non vult, quâ denique ita dat ipſum velle, ut voluntas cum eadem gratiâ conſiderata

derata in actu primo poſſit non velle; ſi, inquam, Eximius Gummarus ejuſmodi gratiam admitteret ſine fuco, non eſſet cur vereretur, ne propter definitionem illam libertatis negaretur *quod gratia hujus ſtatus ultra poſſe det ipſum velle*: Catholici omnes definitionem illam amplectuntur, non tamen propter illam negant quod gratia hujus ſtatus ultra poſſe ſæpiſſimè det ipſum velle, ſic tamen ut cum eâdem illâ gratia potuerit voluntas non velle, negant tamen idem Catholici, quod gratia hujus ſtatus ultra poſſe ſemper det ipſum velle: horrent enim hæreticam hanc in ſenſu Janſenii propoſitionem: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*; quando autem gratiæ reſiſtitur, tum non dat ipſum velle, datura tamen niſi voluntas pervicaciâ ſuâ reſtitiſſet. Videor hic audire muſſitantem Eximium Gummarum, quod & ipſe admittat gratiæ quodammodò reſiſti, non tantum aliquando ſed ſemper. Capio quid velis vir Eximie, vidi duo pertinentia, quæ valde impertinenter poſuiſti ad primam ſecundæ in Compendio ante pag. 29. alterum ordine quintum ita ſonat: *pone non dari impetum ſine motu, an idcirco corpus grave nulli impetui reſiſtit: qua igitur ratiocinii ſpecie negatur reſiſti gratiæ, etſi ſinguli hujus gradus ſemper in nobis obtineant id,*

quod per illos vult Deus ? Alterum ordine ſextum ſic eſt conceptum : *Facilius oſtendero quod natura corrupta ſemper gratiæ efficaci quodammodo reſiſtit , quam quod numquam.*

Hæc ego pertinentia conſiderans cogor credere Eximium Gummarum flocci facere Alexandri VII. Conſtitutionem : *Ad Sacram*, condemnantis quinque propoſitiones , non tantum ut jacent , ſed *in ſenſu à Cornel. Janſenio intento* : juravit tamen *Religioſam obſervantiam* prædictæ conſtitutionis ; nam Alma Facultas Theologiæ Lovanienſis Literis die 20. Martii Anni 1660. datis ad Alexandrum VII. declaravit ſe quinque Propoſitiones tam in Conſtitutione Innocentii X. *cum occaſione*, quam in conſtitutione Alexandri VII. *Ad Sacram* damnatas , tantopere deteſtari , ut neminem admittere ad gradus Academicos velit , *niſi prius Religioſam obſervantiam prædictarum conſtitutionum promittat & juret*. Quæ animi conſtitutionum Apoſtolicarum obſervantiſſimi ſignificatio uſque adeo placuit Alexandro VII. ut 7. die Auguſti ejuſdem anni reſponſorias miſerit hoc tenore : *Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem literas veſtras die 20. Martii datas accepimus , & in eo ſanè , quod quinque propoſitiones illas tam in conſtitutione Fel. Rec. Innocentii X. prædeceſſoris noſtri , quam in aliâ noſtrâ poſtea damnatas*

tanto-

tantoperè deteſtemini, ut neminem admittere ad gradus Academicos velitis, niſi prius Religioſam obſervantiam prædictarum conſtitutionum promittat & juret, obedientiam & zelum veſtrum unicè commendamus, atque adeo ſperamus, vos nedum egregiè id, præſtanterque impleturos, verum etiam omnibus in hanc ſanctam Sedem obſervantiæ & obedientiæ documentis effecturos, ut omni rerum præteritarum ex hominum, animis evulſâ & pœnitus abolitâ memoriâ, priſtinum decus exiſtimationi & laudi antiquæ reſtituatur. Ad hanc igitur ſalutaris obſequii gloriam verè, conſtanterquè promerendam, quamvis, uti credimus, eximiè currentes, vos dilecti filii etiam atque etiam, quantum poſſumus hortamur in Domino, &c.

Poſt illas literas datas, & acceptas Facultas Theologica ad ſupremum gradum Academicum admiſit R. Admodum D. Gummarum Huygens, fecitque Eximium: promiſit ergo hic & juravit Religioſam obſervantiam Conſtitutionum tam Innocentii X. quam Alexandri VII. Hæreſeos damnantium quinque propoſitiones *in ſenſu à Cornelio Ianſenio intento.* Spero non juraſſe ſine animo jurandi: juravit ergo, animo ſincero, ut decet hominem frugi ac ſincerum; juravit ergo animo ſincero *Religioſam obſervantiam* conſtitutionis Alexandri *ad Sacram* quâ contra *aliquos publicæ tranquillitatis perturbatores, & non*

nonnullos iniquitatis filios definivit, & declaravit *quinque propoſitiones ex libro Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe*. Inter quinque autem illas propoſitiones Hæreſeos damnatas, ſecunda ita ſonat: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*: Animo igitur ſincero juravit Religioſam obſervantiam illius conſtitutionis quâ ſecunda hæc propoſitio definitur excerpta eſſe ex libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt *Auguſtinus*, & damnata *in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento*, mandaturque *omnibus Chriſti fidelibus*, ac proinde Eximio etiam Gummaro, *ne prædictam Doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè vel privatim, palam vel occultè, imprimantve ſub pœnis & cenſuris contra Hæreticos in jure expreſſis ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis.*

Eximie Domine ac Magiſter, toties laudatæ Conſtitutionis obſervantiam juraſti religioſam, animo, ut confido, ſincero; ſi nolis eſſe perjurus, non potes *publice vel privatim, palam vel occulte* docere, quod interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtatur eo ſenſu, quo reſiſti numquam docuit Janſenius; fatendum eſt igitur interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ reſiſti ali-

aliquando eo ſenſu, quo id negavit Janſe-nius: videamus itaque quo id ſenſu negaverit Janſenius, plurimum namque intereſt hoc non ignorare, ne incauti idem doceamus quod Janſenius. Nolo inquies, indagare ſenſum Janſenii, nec debeo: ita te reſpondiſſe ſcio, ſi neges, probabo. Scio etiam & probabo Vacantiarum quemdam Priorem, ut vocant, cum interrogaretur an in Schola Facultatis Theologicæ umquam proponeretur hoc vel ſimile argumentum: hæc vel illa propoſitio damnata eſt in ſenſu Janſenii, atqui ſenſus Janſenii eſt talis, ergo &c. reſpondiſſe hujuſcemodi argumentantem riſu excipiendum, de ſenſu Janſenii altum iſtic eſſe ſilentium: cumque interrogaretur ulteriùs, ſi quis urgeretur in materia de libertate aut reſiſtentia gratiæ per ſenſum Janſenii, quâ ratione ſe expediret, reſpondiſſe, recurreret ad quæſtionem facti in quâ falli poſſit Chriſti Vicarius. Decantata pridem hæc eſt reſponſio Lovanii: imò aſſertio de Infallibilitate Romani Pontificis, inquit Vindex Anonymus Inſtructionis ad Propoſ. 15. cap. 3. *In judicando aut definiendo ſenſu libro Catholico, vel hæretico, vix ſibilo meretur excipi.* Hinc parum aut nihil Lovanii ſunt ſolliciti, quis ſit ſenſus Janſenii: quin imo *diſputatur in hodiernum diem, an Doctrina*

Ianſenii

Janſenii illis propoſitionibus comprehendatur. Ita Joannes Lucas Veronenſis S. Theol. Baccalaureus Lovanii in Strena veritatis Anno 1680. pag. 49. jurant tamen Lovanii obſervantiam conſtitutionis Alexandri VII. *Ad Sacram*, in qua auctoritate Apoſtolicâ declaratur, ac definitur *quinque propoſitiones ex libro Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt, Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe.* Conſtitutione illâ Apoſtolicâ nequidquam obſtante *diſputatur*, &c. *Si reponat quiſpiam*, inquit idem Baccalaureus Lov. id *immerito diſputari*, *ſcitur quid paſſim ad hoc reſpondeatur*, illam ſcilicet eſſe quæſtionem facti, in quâ errare poſſit, & erraverit Pontifex. Hujuſmodi reſponſum non expecto ab Eximio Gummaro, hoc tempore diſſuadebunt confæderati Socii, tempus hoc poſtulat, ne nimis apertè proculcent auctoritatem Apoſtolicam, tempus poſtulat, ut fucatâ tantiſper obſervantiâ ſedem Apoſtolicam demulceant. Sed apage fucum; ſedes Apoſtolica, quæ ſpiritu Dei regitur, fucatâ obſervantiâ non demulcetur: fucum ſuo tempore diſſipabit ſpiritus veritatis, ne ſic quidem portæ inferi prævalebunt; â ſæculis nota eſt hæreticorum hæc machina, ſed incaſſum cecidit, cadetque ſemper.

Eximie Gummare juraſti non ſemel ob-

ſervan-

ſervantiam Conſtitutionis Alexandri VII. hæreſeos damnantis propoſitiones quinque in ſenſu Janſenii; juraſti ergo numquam te docturum publicè vel occultè propoſitionem illam ex quinque eo ſenſu quo eam docuit Janſenius in ſuo Pſeudo Auguſtino; ſcire ergo te oportet ſenſum Janſenii quando tractas materiam aliquam ad illas propoſitiones pertinentem; tractas autem materiam de libertate, de reſiſtentiâ gratiæ, ni ſcias ſenſum Janſenii, quî illum cavebis, quomodo ſcies quis ſit ille ſenſus, ſi non inquiras? Cur ergo indagare non vis ſenſum Janſenii, ſi ab illo vis eſſe alienus, ſi illum cavendi ſincerus tibi ſit animus? Mihi res hæc videtur ſuſpicioni obnoxia. Agis de reſiſtentia gratiæ, cavent Pontifices *ſub pænis & cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis, ipſofacto abſque aliâ declaratione incurrendis*, ne quis neget reſiſti aliquando gratiæ eo ſenſu, quo id negavit Janſenius, nolo, inquis, indagare ſenſum Janſenii, nec debeo: reſiſti gratiæ profeſſus ſum in Compendio: *Imo facilius oſtendero, quod natura corrupta ſemper gratiæ efficaci quodammodo reſiſtit, quàm quod numquam.* Nimium profeſſus es in Compendio, Eximie Gummare: ut profitearis quod *ſemper* reſiſtatur gratiæ, & quidem efficaci non poſtulat Conſtitutionum Apoſtolicarum religioſa

obſervantia, quam juraſti, poſtulat ut ſine fuco fatearis gratiæ reſiſti aliquando eo ſenſu quo id negavit Janſenius. Tu dicis gratiæ reſiſti, ſed quo ſenſu? ſicut *corpus grave* inquis, *reſiſtit impetui* etiam poſito quod impetus non detur ſine motu. Illone ſenſu reſiſti gratiæ negavit umquam Janſenius? reſiſtentia quam cogitas vir Eximie in eo, quantum intelligo, eſt ſita, quod ſicut corpus grave per innatam ſibi gravitatem nititur deorſum, licet per impetum moveatur ſurſum, ita voluntas per naturam corruptam, per concupiſcentiam, per delectationem noxiam ac terrenam inclinetur deorſum ad res terrenas, licèt per gratiam cæleſtem efficaciter feratur ſurſum ad res divinas, ipſumque Deum, ita ut ſemper in nobis obtineat id quod per illam vult Deus: ſed hujuſcemodi reſiſtentiam numquam & nuſpiam negavit Janſenius: imò verò libr. 4. de gratia Chriſti cap. 4. col. 406. conceptis verbîs docet: *Quamdiu in hac vita mortali vivimus, eſſe in homine luctam quamdam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cæleſtis, quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem ac pronum trahit.* En reſiſtentiam quam ſtatuis inter gratiam efficacem & naturam corruptam: delectatio noxia & terrena pertinet ad naturam corruptam, dele-

delectatio benefica & cæleſtis ad gratiam; inter utramque ſtatuit luctam, ſive reſiſtentiam perpetuam Janſenius: nondum ergo diſſentis à Janſenio; nondum agnoſcis gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſti eo ſenſu, quo id negavit Janſenius. Reſiſti umquam gratiæ hoc ſenſu negavit Janſenius, quod voluntatis pervicaciâ fiat aliquando, ut non ſequatur ille effectus ad quem gratia à Deo datur; paucis ac nitidè mentem ſuam explicuit lib. 3. de gratia Chriſti cap. 4. col. 263. his verbis: *Hinc ulterius docet* (Auguſtinus) *nullam Chriſti gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, ullâ voluntatis pervicaciâ fruſtrari*. Hoc ſenſu reſiſti gratiæ, non ſemper ſed aliquando, quod negavit Janſenius, tu fatere candidè ac ſine fuco, noli poſthac dicere quod *ſinguli gradus gratiæ ſemper in nobis obtineant id quod per illos vult Deus*, prout loqueris in Compendio verbis ferè deſumptis ex Janſenio, qui lib. 2. de gratia Chriſti cap. 27. monet ne quis *falſum putet gratiam in eo, cui datur, ſemper operari effectum, ob quem datur*. Apage fucum omnem profitere palam ac apertè, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ reſiſti aliquando illo ipſo ſenſu, quo id negavit Janſenius, non erubeſce Conſtitutionem Alexandri VII. cujus obſervantiam promi-

ſiſti religioſam, teſtem appellans ipſum Deum qui ſcrutatur corda & renes, cujus obtutum nulli offuſcant fuci; fatere ergo clarè, voluntatis pervicaciâ fieri quandoque, ut gratia, in eo, cui datur, non operetur illum effectum, obquem datur.

Non ſatisfacies ergo religioſæ obſervantiæ, quam debes Conſtitutioni Alexandri VII. quamque promiſiſti, ac juraſtiſi dicas cum Eximio *D. Franciſco van Viane* in Dictatis de gratia cap. 10. *eſt quidem hæc quarta gratia* (ſcilicet perſeverantiæ, quæ propria eſt electorum) *plenè victrix, non tamen ſine pugna, ſine reſiſtentia vincit, & potuit hæc eſſe quoque alia ratio condemnationis ſecundi Articuli: interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.* Hoc ſenſu reſiſti gratiæ nuſpiam negavit Janſenius, in cujus ſenſu articulus iſte damnatus eſt: reſiſtentiam illam ſive luctam agnovit Janſenius lib. 4. de gratia Chriſti cap. 4. col. 406. *creberrimè*, inquit, *docet Auguſtinus, quamdiu in hac vita mortali vivimus, eſſe in homine luctam quamdam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cæleſtis, quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem ac pronum trahit.*

Nihilo magis ſatisfacies religioſæ obſervantiæ, quam debes Conſtitutioni Alexandri VII. ſi dicas cum eodem Eximo *D. Fran-*

ciſco

ciſco van Viane in Dictatis de gratia cap. 10. propoſitionem hanc : *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur* damnatam eſſe ab Innocentio X. (miror nuſpiam addi & ab Alexandro VII. & quidem in ſenſu à Cornelio Janſenio intento) quia homo gratiam ſæpe abjicit : *ſine dubio enim*, inquit, *ei reſiſtitur, dum abjicitur. Venit illa abjectio ab hominis mutabilitate, dum alia objecta per ſenſus exteriores, & interiores in cogitationem veniunt, & voluntatem ad amorem ſuum eòuſque provocant ut homo Dei amorem abjiciat* : id eſt eòuſque ut delectatio terrena vincat cæleſtem : nitidam enimverò reſiſtentiam gratiæ ! Sed quam nuſpiam negavit Janſenius Nitidum eſt illud : *ſine dubio enim* gratiæ *reſiſtitur, dum abiicitur, venit illa abjectio ab hominis mutabilitate*. Cur non dicis Eximie Domine, illam venire ab hominis liberâ & pravâ voluntate ? uſpiamne negavit Janſenius ejuſmodi hominis mutabilitatem ! ejuſmodi gratiæ abjectionem & reſiſtentiam ! atqui tamen Propoſitio illa : *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, hæreſeos damnata eſt ab Innocentio X. & Alexandro VII. non tantum prout jacet, aut eo ſenſu, quem aliquis poteſt fingere, ſed ſenſu à Janſenio intento : poſtulabat ergo religioſa obſervantia erga conſtitutionem Alexandri VII.

 ſen-

ſenſum illum indagare; quomodo enim ſenſum vitabis quem ignoras?

§. XI.

Expenditur illud Gummarianum : amor beatificus humanus actus eſt *in Compendio pag.* 12.

TOtus fuit Eximius Gummarus in perſuadendo diſcipulis ſuis, quod amor beatificus ſit actio humana: plurimum intereſſe putavit hoc non ignorare Diſcipulos; ſed quo id argumento perſuadet? *per illam enim* inquit in Dictatis publicis, *quod volumus facimus*. Quid inde? *Sumus igitur*, inquit *futuri Domini iſtius amoris, ſive futurus eſt iſte actus in poteſtate noſtrâ*. Itane vero Doctor Eximie, ſumus futuri Domini iſtius amoris? Poterimuſne clarè intuentes Deum, non amare ipſum? atqui hoc requiritur, ut amoris iſtius ſimus Domini. Audiamus Doctorem Angelicum vere Eximium. *Subſtantiæ intellectuales*, inquit, lib. 2. contra gentes cap. 47. *ſe agunt ad operandum. Hoc autem eſt proprium voluntatis, per quam ſubſtantia aliqua eſt domina ſui actus, utpote in ipſâ exiſtens agere & non agere*. Dominium ecce voluntatis in actum explicat Doctor Angelicus per potentiam agendi & non agendi. *Dicendum*, inquit

inquit idem S. Doctor 1. p. quæſt. 2. art. 1. *quod Domini ſumus noſtrorum actuum ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere..... Vnde appetitus ultimi finis non eſt de his quorum Domini ſumus.* Cur quæſo appetitus ultimi finis non eſt de his, quorum Domini ſumus? Nonne per illum æque, ac per amorem beatificum, *quod volumus facimus*? Ex principiis Doctoris Eximii ita licet argumentari contra Doctorem Angelicum: per appetitum ultimi finis, quod volumus facimus, ergo appetitus ultimi finis eſt de his, quorum Domini ſumus, ſed fallit argumentum, quia prior propoſitio duplicem partitur ſenſum, alterum verum, alterum falſum: alterum ab altero ſeparemus, & apparebit fallacia. Per appetitum ultimi finis facimus quod volumus, ita ut iiſdem cauſis poſitis poſſimus non velle, falſum eſt: per appetitum ultimi finis facimus quod volumus, ita ut ſimus determinati ad volendum, & non poſſimus non velle, verum eſt quidem, ſed cave concludas: ergo appetitus ultimi finis eſt de his quorum Domini ſumus; fallit conſequentia; quia *dominium quod habet voluntas ſupra ſuos actus*, inquit Doctor Angelicus lib. 1. contra gentes cap. 68. *per quod in ejus poteſtate velle vel non velle excludit determinationem virtutis ad unum*; quia ſcilicet ut mo-

 net

net Herveus quodlibeto 10. quæſt. 9. *habere dominium ſui actus, eſt habere ſic in poteſtate ſuum actum, quod in poteſtate ſuâ ſit agere vel non agere.* Similiter reſpondeamus ad argumentum Eximii Gummari: per amorem beatificum facimus quod volumus, ita ut iiſdem cauſis poſitis poſſimus non velle, quod requiritur ad dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, falſum eſt: per amorem beatificum facimus, quod volumus, ita ut iiſdem cauſis poſitis non poſſimus non velle, ſed ſimus determinatiſſimi ad volendum, verum eſt quidem, ſed perperam inde concludit Eximius Gummarus; ergo *ſumus futuri Domini iſtius amoris, ſive futurus eſt iſte actus in poteſtate noſtrâ.* Fallit concluſio: *quia dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus* (verba ſunt Doctoris Angelici) *per quod in ejus poteſtate velle vel non velle, excludit determinationem ad unum*, per viſionem autem beatificam, quæ eſt unum è prærequiſitis ad amorem beatificum determinatur voluntas ad amandum Deum, ita ut illâ poſitâ non poſſit non amare Deum. Amare igitur non eſt in poteſtate clarè intuentis Deum: nam ut amare eſſet in ipſius poteſtate, deberet etiam non amare eſſe in poteſtate ipſius, juxta illud ejuſdem Doctoris Angelici: *ſi operari eſt in noſtrâ poteſtate, oportet etiam quod non operari ſit in noſtrâ poteſtate.* Exi-

Eximie Gummare te ipſum conſulo Doctorem, ac Magiſtrum, poteſtne viro cordato, ac orthodoxo placere hoc tuum argumentum? Per amorem beatificum, *facimus quod volumus*, licet non poſſimus non amare, hoc eſt, licet amemus neceſſariò, quia voluntas noſtra determinatur ad amandum per claram Dei viſionem, quæ eſt unum è prærequiſitis ad amorem beatificum: facimus tamen, quod volumus: *Sumus igitur futuri Domini iſtius amoris.* Poteſtne inquam placere hoc tuum argumentum? Videamus: Pater æternus & Filius amando producunt Spiritum Sanctum. Nonne per amorem illum æque faciunt quod volunt; quam nos per amorem beatificum facimus quod volumus? Negare non potes, vir Eximie, quoquò te vertas. Quid ſi inde ego ita concludam, ergo Pater æternus & Filius ſunt Dominus, aut Domini productionis Spiritus Sancti, ſive productio Spiritus S. eſt in poteſtate Patris ac Filii: nonne blaſphemum atque immane iſtoc erit Corollarium, quod audire non ſuſtineant aures blaſphemiis non aſſuetæ? Quid? Pater æternus & Filius dominium habent productionis Spiritus S. illamque habent in poteſtate ſuâ? Hinc ego invictiſſimè concludo patrem & filium tam propriè eſſe dominum, aut dominos ſpiritus

S.

S. quam Deus ſit dominus creaturarum, quæ fuit Eunomianorum, Aëtianorum, ac præcipuè Macedonianorum hæreſis propria, ut colligo ex Baſilio Ep. 78. Nazianzeno orat. 34. & Epiphanio hæreſi 74. Corollarium hoc effugere non poteſt Eximius Gummarus: nam idcirco Deus perfectum habet in creaturas dominium, quia earum productionem habet in poteſtate ſuâ, hòc eſt, quia ſi vult eas producit: ſi non vult non producit: atqui in principiis Eximii Gummari pater æternus & filius habent in poteſtate ſuâ productionem Spiritus S. hoc eſt, ſi volunt illum producunt, ſi non volunt non producunt: nam *hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit*, ſunt ipſiſſima verba, quæ ex Auguſtino adducit Eximius Gummarus. An non merito Doctrinam hanc, quia mira eſt ſtupemus, quia nova eſt cavemus? Tuum ipſius judicium poſtulo Doctor Eximie, ſcio quid reſponſurus ſis. Reſponſum ſuggeſſit Janſenius in ſuo Pſeudo-Auguſtino, qui illud accepit à Calviniſtis apud Joannem Puteanum Tom. 1. in 1. 2. q. 10. dub. 2. *Pater & Filius*, inquiunt Calviniſtæ, *producunt neceſſariò Spiritum Sanctum, & tamen certum eſt proceſſionem iſtam nuncupari liberam à Scotiſtis, ergo*, &c.

Reſpon-

Reſpondet Puteanus Scotiſtarum opinionem Calviniſtis nihil patrocinari, ajo & ego nihilo magis patrocinari Eximio Gummaro: quia Scotiſtæ, inquit Puteanus, *liberum non ſumunt in propriâ ſignificatione, ſed quatenus coincidit cum voluntario, ac proinde volunt Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio liberè, id eſt ſponte & non coactè*, ſive liberè libertate à coactione, non verò liberè libertate à neceſſitate, de quâ hic nobis debet eſſe ſermo, cum agamus de illâ libertate quæ actionem humanam conſtituit. Quod ſi Eximius Gummarus tantum velit amorem beatificum eſſe liberum eo ſenſu, quo proceſſio Spiritus S. eſt libera ad mentem Scotiſtarum, amplectar ipſius ſententiam, ſed negabo cum Scotiſtis amorem beatificum eſſe actionem humanam, negabo ipſum eſſe in poteſtate, negabo eſſe in Dominio Beatorum, negabo eſſe magis liberum à neceſſitate quam ſit ullus actus viatorum in ſtatu hoc naturæ lapſæ, negabo alia, quæ confidenter pronuntiat Eximius Gummarus, qui nihilo magis quam Calviniſtæ, aut Janſenius ſibi habet patrocinantes Scotiſtas: hi enim diſertis verbis diſtinguunt inter *eſſe liberum & habere dominium ſui actûs.* Audiamus Scotiſtam nobilem Petrum Aureolum in 1. diſt. 1. c. 3. a. 3. *Non eſt autem idem liberum, & dominativum*

rum actus, *alioquin Pater & Filius non ſpirarent liberè*, *cum non poſſint dominativè ſuſpendere actum ſpirationis*, *nec etiam Deus liberè ſe amaret. Vnde ex hac deceptione oritur difficultas*, *quæ hodie habetur circa formalem rationem libertatis*; *quia putant homines*, *quod idem ſit eſſe liberum*, *& habere dominium ſui actus.* Si velis patrocinari tibi Scotiſtas, mitte Calviniſtas, mitte Janſenium, dic amorem beatificum eſſe liberum, per nos licet. Sed ediſſeras apertè ne Diſcipulorum animos error invadat pernicioſus, tunc idem non eſſe, liberum eſſe & & habere dominium ſui actus; ita liberum aſſeras amorem beatificum, ut neges eſſe in poteſtate ac dominio Beatorum; neges eſſe actionem humanam, neges liberum eſſe à neceſſitate, cum tantum ſit liber à coactione; neges denique eſſe liberum eâ libertate, quæ liberi arbitrii eſt propria: nam in *Beatis*, inquit Guilielmus de Rubione nobilis Scotiſta alter in.2.diſt.25.q.1.art.2.*eſt uſus liberi arbitrii*, *non reſpectu actus beatifici*, *qui non eſt in poteſtate ipſorum*, *ſed reſpectu omnium aliorum in eorum poteſtate exiſtentium*, *ut videlicet poſſint ab eis in eſſe poni vel non poni.*

§. XII.

§. XII.

Corollaria, quæ fluunt ex hoc Gummariano : nulla actio hominis in ſtatu naturæ lapſæ ita eſt in noſtrâ poteſtate, quam amor beatificus.

ITa docet Eximius Gummarus in Dictatis publicis obſervatione 1. oſtendi ſupra ex Ariſtotele, D. Thomâ, S. Auguſtino, S. Damaſceno, Nemeſio, & Clemente Alexandrino. nequaquam eſſe in poteſtate noſtrâ operari, niſi etiam in poteſtate noſtrâ ſit non operari; admittere ergo debet Eximius Gummarus eſſe in poteſtate Beatorum non amare Deum: admittit namque eſſe in poteſtate ipſorum amare Deum, atqui non eſt in poteſtate amare Deum, niſi etiam non amare Deum ſit in poteſtate, ut apertè demonſtravi; ergo.

Dic, amabo te, Eximie Gummare, quomodo in poteſtate Beatorum eſt non amare Deum? modum, inquies, exhibui in fine obſervationis 1. nimirum, *ſi aliquod bonum ipſo Deo meliùs per impoſſibile exiſteret, & rurſus ſi per impoſſibile melius foret ab amore Dei ceſſare, voluntas Beatorum promptiſſimè ſe determinaret, vel ad majorem iſtius boni amorem, vel ad amoris Dei ceſſa-*

ceſſationem. Capio quid velis, vir Eximie, eſt in poteſtate Beatorum ceſſare ab amore Dei, quia id poſſunt ſub conditione aliquâ impoſſibili: concludo: ergo quidquid poteſt homo, aut Deus ſub conditione aliquâ impoſſibili, id habet in poteſtate ſua, ſive id poteſt. Accipe ergo Corollaria quæ hinc fluunt paradoxa, in iiſque contemplare doctrinam tuam.

Corollarium 1. Eximius Gummarus poteſt volare inſtar Aquilæ, nam poſitâ conditione, quod habeat alas, eaſque moveat, prout requiritur ad volandum, volabit Eximius Dominus,

Spectatum admiſſi riſum teneatis Amici.

Corollarium 2. Eximius Gummarus poteſt condere alterum mundum, quia poſitâ hac conditione impoſſibili, quod ſit Deus, velitque creare alterum mundum, creabit illum Eximius Dominus.

Corollarium 3. Eximius Gummarus eſt Omnipotens, quia poteſt omnia, quæ poteſt Deus; quid enim non poteſt ſub conditione impoſſibili?

Corollarium 4. In poteſtate Dei eſt mentiri, ac odiſſe ſe ipſum: etenim tam verè dicitur, Deus mentiretur, ac odiſſet ſe ipſum, ſi vellet, quam verè dicitur: Beati ceſſarent ab amore beatifico, ſi aliquod bonum

ìum Deo melius exiſteret : ſi ergo poſſe ceſſare ab amore beatifico dicendi ſunt Beati, quia id poſſent, ſi conditio poneretur impoſſibilis : cur dici non poſſit Deus poſſe mentiri, poſſe odiſſe ſe ipſum, cum poſſit utrumque, ſi conditio poneretur impoſſibilis?

Corollarium 5. Pater & Filius poſſunt ſuſpendere productionem Spiritus Sancti, nam illam ſuſpenderent, ſi vellent, hoc eſt, ſi conditio poneretur impoſſibilis.

Corollarium 6. In poteſtate hominis eſt amare malum, quatenus malum, odiſſe bonum, quatenus bonum, quia illud amaret, hoc odiſſet, ſi vellet.

Corollarium 7. Liberum eſt infanti rationis uſu carenti, imo lapidi peccare; nam peccaret, ſi vellet : finge enim poni hanc conditionem impoſſibilem, quod velit peccare lapis, certò peccabit, cum velle peccare, ſit peccare.

Eximie Gummare, quæ tibi mens, dum legis hæc corollaria, quæ ex tuâ fluunt doctrinâ? indubiè illa averſaris; ſed cur non averſaris illam tuam doctrinam, ex quâ profluunt? non opinor, audebis negare quin iſtæc corollaria ex doctrinâ tuâ deducantur legitimè; nonne conceptis verbis doces amorem beatificum eſſe in poteſtate Beatorum?

torum ? ais ergo in poteſtate Beatorum eſſe; Deum clarè viſum amare. Hinc ego concludo: eſſe in poteſtate ipſorum non amare Deum; hoc eſt ceſſare ab amore juxta illud Philoſophi l. 3. Ethic. c. 5. *Quibus in rebus, noſtra in poteſtate ſitum eſt agere, in iis & non agere, & in quibus non agere, in iis eſt & agere.* Et illud D. Thomæ hunc Ariſtotelis locum ſic exponentis: *ſi operari eſt in noſtrâ poteſtate oportet etiam quod non operari ſit in noſtrâ poteſtate.* Liceat hic Doctorem Angelicum imitari: ſi amare Deum eſt in poteſtate Beatorum, oportet etiam quod non amare Deum ſit in poteſtate Beatorum; atqui ex mente Gummari Huygens amare Deum eſt in poteſtate Beatorum, ergo oportet etiam quod non amare Deum ſit in poteſtate Beatorum. Peto cur in poteſtate Beatorum ſit non amare? Reſpondet Eximius Domins, quia *ſi aliquod bonum Deo melius per impoſſibile exiſteret, voluntas eorum ſe ipſam promptiſſime determinaret ad majorem iſtius boni amorem vel ad amoris Dei ceſſationem.* Ergò ad hoc ut dicatur eſſe in poteſtate Beatorum, non amare Deum, ſatis eſt quod hoc poſſit poſitâ conditione aliquâ impoſſibili: atqui poſitâ conditione impoſſibili poteſt lapis peccare, igitur & hoc ſatis eſt, ut dicatur eſſe in poteſtate lapidis peccare. Hunc ſolve nodum Eximie

mie

mie Gummare, & eris mihi vere Eximius.

§. XIII.

Corollaria, quæ fluunt ex hoc Gummariano. Amor Beatificus magis eſt liber à neceſsitate, quam ulla actio naturæ lapſæ, hominis in ſtatû Innocentiæ, aut Angelorum viatorum.

VOluntas, quâ Beati in cælo Deum clarè viſum amant, *Scholaſticorum omnium judicio* maximè determinata eſt, ut rectè obſervat Janſenius lib. 6. de Gratiâ Chriſti Salvatoris cap. 10. Eximius ipſe Gummarus tantam in Beatis agnoſcit ad amandum Deum neceſsitatem, ut ab amore illo ceſſare non poſsint, niſi ſub conditione impoſsibili, nimirum hâc: *ſi objectum Deo melius exiſteret, vel ſi amoris Domini ceſſatio ipſo amore melior foret.* Verba ipſius ſunt obſervatione 2. in Dictatis publicis. Hanc porrò conditionem eſſe impoſsibilem & per ſe patet, & fatetur ipſe Gummarus obſervatione 1. nihilominus confidenter pronuntiat, amorem beatificum magis eſſe liberum à neceſsitate, quam ulla actio naturæ lapſæ, aut hominis in ſtatu Innocentiæ, aut Angelo-

gelo-

gelorum viatorum. Ne autem gratis id videatur aſſerere probat hoc ſatis operoſè hoc argumento : *etenim ſi aliquod bonum ipſo Deo melius per impoſſibile exiſteret ; & rurſus ſi per impoſſibile, melius foret ab amore Dei ceſſare, Vtrumque intellectui adeò illuminato promptiſſimè occurret, voluntas quoque cùm eſſet nullâ carentiâ luminis præpedita, cùm nullis concupiſcentiis vincta, vel irretita, promptiſſimè ſe ipſam determinaret, vel ad majorem iſtius boni amorem, vel ad amoris Dei ceſſationem.* Horret animus Corollaria, quæ inde fluunt perabſurda.

Corollarium 1. Nulla eſt actio in ſtatu naturæ lapſæ, à quâ poſsit homo ceſſare, niſi ſub conditione plus quam impoſsibili : nam juxta Eximium Dominum ideo omnis actio naturæ lapſæ eſt minus libera à neceſsitate, quam amor beatificus, quia ab illo ceſſare poſſunt beati ſub conditione impoſsibili ; ergo à nullâ actione naturæ lapſæ ceſſare poteſt homo, niſi ſub conditione plus quam impoſsibili. Si enim ceſſare poſſet homo ab aliquâ actione, ſub conditione aut poſsibili, aut etiam tantum impoſsibili, actio illa non eſſet minus libera à neceſsitate, quam amor beatificus.

Corollarium 2. Adam in ſtatu Innocentiæ (idem eſt de Angelis viatoribus) cavere non potuit peccatum, niſi ſub conditione

ditione plus quam impoſsibili. Etenim actio peccaminoſa Adami, & Angelorum fuit minus libera à neceſsitate, quam ſit amor beatificus, à quo ceſſare non poſſunt beati niſi ſub conditione impoſsibili: generale ſiquidem eſt illud Gummarianum: *amor beatificus eſt magis liber à neceſsitate, quam ulla actio hominis in ſtatu Innocentiæ aut Angelorum viatorum.*

Corollarium 3. Adam non peccavit. *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* quærit Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. caveri autem nullo modo poteſt, quod caveri non poteſt niſi ſub conditione plus quam impoſsibili, ergo &c.

Corollarium 4. Inſulſum eſt hoc Auguſtini ratiocinium: *peccatur autem, caveri igitur poteſt*: nam juxta Gummarum peccatur, & tamen caveri non poteſt, niſi ſub conditione plusquam impoſsibili, atqui quod caveri non poteſt niſi ſub conditione plus quam impoſſibili caveri omnino non poteſt; ergo &c.

Corollarium 5. Adamus fuit nullâ vituperatione, ſuppliciove dignus: quid enim certius, quam, quod docet Auguſtinus lib. de duabus animabus cap. 11. *Neminem vituperatione ſuppliciove dignum eſſe, qui id non faciat quod facere non poteſt?* Nonne, inquit, *iſta cantant & in montibus Paſtores, & in Theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in*

 Biblio-

Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?

Corollarium 6. Vituperatione, ſuppliciove dignus non eſt Eximius Gummarus, licèt in Compendio, ac Dictatis publicis apertiſſimè janſenizet, nam cavere illud non potuit, niſi ſub conditione plus quàm impoſſibili.

Sed, Eximie Gummare, ſi poteſtas Eccleſiaſtica Decreto publico ad omnes valvas affixo declararet, te excommunicationis ſententiæ ſubjacere, ne feras ægrè: nam te ipſo judice minùs liberè id faceret, quàm Beati in Cælo ament Deum, qui ab amore ceſſare non poſſunt, niſi ſub conditione impoſſibili.

Eximie Gummare, ſi Rex Catholicus, non ferens hæreſim graſſari per Belgium, Auctorem Compendii ableget ad Triremes: ne quæſo indigneris Regi, nam minus liberè, ſi te audimus, id faciet, quàm Beati in Cælo ament Deum.

Eximie Gummare, ſaltem non iraſcaris mihi, quod doctrinam Compendii tui paululum exagitem, nam minus liberè id facio quàm Beati in Cælo ament Deum, qui ab amore ceſſare non poſſunt, niſi ſub conditione impoſſibili: qui tamen amor eſt magis

magis liber à neceſſitate, quàm actio hæc mea, aut ullius hominis in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ut doces ipſe in Compendio.

Nullus dubito, Eximie Gummare, quin hæc tibi Corollaria minimè probentur, imo dices cum Auguſtino lib. de gratia & libero arbitrio cap. 13. *Quis ita deſipiat, imo inſaniat neſciens quid loquatur, ut hæc audeat dicere?* Sed tamen vir Eximie iſthæc Corollaria per ſe fluunt ex doctrina quam habes in Compendio, quamque publicè tuis dictaſti Diſcipulis. *Muta igitur antecedentia, ſi vis cavere ſequentia*, Conſilium eſt Auguſtini l. 2. de adulterinis Conjugiis, c. 4. fatere amorem beatificum, à quo ceſſare non poſſunt Beati, niſi ſub conditione impoſſibili, non eſſe magis liberum à neceſſitate, quàm ſit ulla actio naturæ lapſæ, hominis in ſtatu innocentiæ, aut Angelorum viatorum. Niſi id fatearis, evadere non potes Corollaria, quæ dedi, aut monſtra viam quâ poſſis evadere.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FINIS.

INDEX

INDEX PARAGRAPHORUM.

§. I.

PRoponitur Doctrina Gummari, ejuſque fons aperitur. Pag. 1

§. II. Inquiritur quid in communi Libertatis notione diſplicuerit Eximio Gummaro, 7

§. III. An communis Libertatis notio ignota fuerit Ariſtoteli & Divo Thomæ, 18

§. IV. An vulgata Libertatis notio ignota fuerit Sancto Auguſtino, 24

§. V. Ampliùs probatur communem Libertatis definitionem notam fuiſſe Auguſtino, 30

§. VI. Probatur communis definitio Libertatis authoritate multiplici, 35

Scripturæ ſacræ pro communi definitione libertatis, 36

Concilia pro communi libertatis definitione, 37

Pontifices Romani pro communi libertatis notione, 38

Sancti Patres pro communi libertatis notione, 39

Theologi antiqui pro communi Libertatis notione, 43

Doctores Lovanienſes pro communi libertatis definitione, 46

§. VII. Inanes quidam conatus Eximii Gummari, 50

§. VIII. *Expenditur Gummarianum illud:* definitio libertatis hæc: poteſtas ad agendum, & non agendum nimium propendet in Pelagianorum & Semi-Pelagianorum errores, 55

§. IX. *Expenditur illud Gummarianum:* Definitio illa libertatis: poteſtas ad agendum & non agendum, &c. modo non eſt neceſſaria Theologiæ, 66

§. X. *Quam ob cauſam Eximius Gummarus tantopere averſetur, vulgatam libertatis definitionem,* 73

§. XI. *Expenditur illud Gummarianum:* amor beatificus eſt actus humanus *in Compendio pag.* 12. 86

§. XII. *Corollaria, quæ fluunt ex hoc Gummariano:* nulla actio hominis in ſtatu naturæ lapſæ ita eſt in noſtrâ poteſtate, quam amor beatificus, 93

§. XIII. *Corollaria, quæ fluunt ex hoc Gummariano.* Amor beatificus magis eſt liber â neceſſitate, quàm ulla actio naturæ lapſæ hominis in ſtatu Innocentiæ, aut Angelorum viatorum, 97

[illegible] Google

Digitized by Google

Digitized by Google